AD

FRATERNAM COMMUNIONEM

inter Evangelicas Eccleſias reſtaurandam Adhortatio;

In eo fundata, Quòd non diſſentiant in ullo Fundamentali Catholicæ Fidei articulo.

Per

Reverendum in Chriſto Patrem,
JOHANN. DAVENANTIUM
Epiſcopum Sarisburienſem.

Cui præfixa eſt Ejuſdem *De Pace itidem Eccleſiaſtica* Commentatio *Johanni Duræo* non ità pridem miſſa.

CANTABRIGIÆ,
Ex officina ROGERI DANIELIS almæ Academiæ Typographi.
CIↃ DC XL.

XUM

Benevolis Lectoribus, paciſq; ſtudioſis, Gratiam ac Pacem in Chriſto Jeſu.

Noſtrum de Pace inter Evangelicos procuranda conſilium privatim Johanni Duræo, viro docto, pio ac pacis Eccleſiaſticæ ſtudioſiſſimo, aliquot abhinc annis communicavimus. Viſum eſt illi Epiſtolarem hanc noſtram ſententiam mandare typis & in claram lucem proferre. Poſt quam evulgatam, idem Duræus, necnon alii viri clariſſimi, inſtant & ſummo ſtudio urgent ut velim paulò latiùs de Catholicæ fidei Fundamentalibus diſquirere; quò meliùs conſtare poſſit, utrùm Proteſtantes in hiſce omnibus inter ſe conveniant, nécne: Rectè etenim & ſapienter judicabant, pacem & unionem inter eos conciliari non poſſe qui ſeſe invicem in judicium Fundamenti violati & everſi arceſſunt. At illud non ità ſapienter, quòd me hominem penè confectum ſenectute difficillimo huic negotio conficiendo parem opinantur. Cupientibus itaque & inſtantibus quibuſdam amicis ut hac de re cogitationem ſuſciperem, diu ſæpéque negavi; atque hanc provinciam non niſi virenti & valenti alicui Theologo commendandam judicavi. Neſcio tamen quo pacto mihi non ità pridem ultro in mentem veniebat, non abs re

fore, ſi (vel ut meo animo ſatisfacerem) mecum ipſe de propoſita quæſtione pauxillùm meditarer. Indè exſtitit hæc noſtra commentatio qualiſcunque: Quæ poſtquam ex Muſæo noſtro in quorundam amicorum manus devenit, illis hoc flagitantibus, me haud repugnante, in publicum emanavit. Hunc autem tractatum noluimus in publico conſpici, niſi illo altero quem ad Duræum olim miſimus comitatum. Quod à nobis factum eſt, tam propter materiæ ſubjectæ cognationem, quæ penè eadem eſt in utroque, quàm propter lucem mutuam alteri ab altero apportandam. Nec me interim latuit in quàm ſcopuloſo loco verſetur qui Fundamentalia dogmata aut definire tentet aut certis limitibus circumſcribere. Sed meo inſtituto ſatìs erat, levidenſi hoc noſtro opere aliorum acuiſſe induſtriam ad uberiorem & accuratiorem hujus materiæ explicationem. Interea loci, ſi hæc noſtra pacificis Theologis uſui alicui eſſe poſſint ad pacem inter Evangelicas Eccleſias conſtabiliendam, fruantur iis per me licet: qui interim hoc fruar ſolatio, opellam meam hac in re Eccleſiis laborantibus haud defuiſſe. Valete, Fratres in Chriſto, & Principi pacis in procuranda Eccleſiarum ſuarum pace ſedulò inſervite.

De

De Pace inter Evangelicos procuranda Sententia
JOHANN. DAVENANTII
Epiſc. Sariſburienſis.

Ornatiſſ. & Doctiſſ. Viro
JOHANNI DURÆO
hanc ſuam commentationem qualemcunq; mittit

JOHANN. DAVENANTIUS
Epiſc. Sariſburienſis.

DIgniſſima quidem eſt omnium piorum Theologorum conſideratione vox illa Dei apud Prophetam Zachariam, *Veritatem & pacem amate.* Cap.8.19. Cui etiam conſonat illud Apoſtoli, Ἀληθεύετε ἐν ἀγάπῃ. Non igitur ſic ratio veritatis eſt habenda ut pacis cura prorſus negligatur; nec unitas talis ambienda quâ vera fides deſeratur. Obtendant ergò quod volunt de religione & fide digladiantes Theologi: neutram ex animo

 diligunt

diligunt qui utramque non diligunt; neutram pio animo deſiderant qui utramque non deſiderant. Si enim (quod Philoſophi tenent) quodlibet corpus naturale non minùs appetit Unitatem ſuam quàm Entitatem, nil cauſæ video cur corpus illud ſpirituale & myſticum, quod Eccleſiam Catholicam vocamus, non pari affectu unitatem ſuam deſideret, utpote quâ diſſolutâ nec ſubſiſtere poteſt nec vel mente concipi. Flagremus ergò cupiditate veritatis quanta maxima in piis Catholicis eſſe debet, modò interim non excidat nobis
Rom.12.18. illud Paulinum, *Si fieri poteſt, & quantum in nobis eſt, cum omnibus pacem eſſe colendam:* cum omnibus, inquam, hominibus externam & civilem; cum omnibus Chriſtianis internam, eccleſiaſticam, ſpiritualem. Eſt hoc Chriſti ipſius, eſt Chri-
Joh.17.21. Act.4.32. ſtianæ Eccleſiæ generale votum, ut omnes qui credunt in Chriſtum, in unum quaſi corpus, imò in cor & animam unam coaleſcant. Cùm hæc ità ſe habeant, meritò ab omnibus laudandi ſunt pacifici illi Theologi, qui nuper operam ſuam addixerunt Eccleſiis Evangelicorum inter ſe conſociandis. Ad me quod attinet, utinam in commune conſulere poſſem quod tam ſancto negotio promovendo poſſet inſervire. Quod poſſum, tuo rogatu faciam, dilectiſſime Duræe, eáque in medium proferam quæ mihi hac de re cogitanti nuperrimè in mentem veniebant.

Im-

Imprimis ergò conſiderandum arbitror, An poſſibilis ſit talis omnium Reformatarum Eccleſiarum inter ſe unio, cujus virtute alii alios non amicorum ſolummodo ſed fratrum loco habeant, atque propter talem unionem non tantùm externæ amicitiæ ſed fraternæ ac ſpiritualis communionis ſigna, effecta, officia omnia viciſſim inter ſe exhibeant. Nam ſi impoſſibilis ſit inter eas arctiſsima hæc unio quam tantopere appetimus, Impoſsibilium nulla eſt obligatio: ſi autem poſsibilis ſit, rei tam ſanctæ, tam Deo gratæ diutius oppugnandæ aut procraſtinandæ nulla excuſatio. Jam quod dixi, primo in loco diſpiciendum, Poſsibilis ſit nécne hæc communio, id intelligi debet, etſi maneant inter privatos particularium Eccleſiarum Doctores vexatæ illæ controverſiæ quas perdiu diſcruciaſſe Eccleſias Germanicas vident omnes, gemunt fideles.

Quamvìs optandus ſit in hiſce omnibus Controverſiis plena & perfecta Theologorum concordia, tamen ut tot capita in unam ſententiam conſpirent, vix quidem ſperari poteſt, nedum uno ſeculo effici. Poſſe autem interim Eccleſias, non obſtantibus quæ indecisè pendent controverſiis, fraternam ſanctámque communionem inter ſe inire, indè conſpici poteſt, quòd quoties diverſarum partium Theologi id ex animo velle & ſeriò aggredi cœ-

perunt, toties & tantum effecerint quantum efficere voluerunt; plus tum proculdubio effecturi, ſi ipſorum voluntas in mora non fuiſſet.

Teſtis ſit ipſe Lutherus atque Helvetii, inter quos manente aliquâ de Præſentia corporis Chriſti opinionum diverſitate amicabilis unio Marpurgi conſtituta eſt; Luthero profitente, Nolle ſe hanc laudem adverſæ parti concedere, quòd pacis & concordiæ ſtudioſiores quàm ipſe eſſent. Quam concordiam neſcio quibus machinis aliquantulùm concuſſam & labefactatam itidem renovarunt; ídque gaudente Luthero, & poſt Helveticorum confeſsionem diligenter conſideratam, ut corda ſimul ac dextras jungerent, neceſſarium judicante. Si quis autem exiſtimet hanc concordiam non fuiſſe tam plenam & perfectam unionem atque ea eſt quam nunc poſsibilem affirmamus, haud imus inficias: ſed illud inſuper addimus, non rei ipſius impoſsibilitatem, ſed quorundam voluntatem ab omnibus ſuſpicionum ſpumis ac ſcoriis nondum bene expurgatam, huic præclaro ac operi pio ad ſummum faſtigium perducendo obſtitiſſe. Nam quod ad Bucerum attinet alióſque primarios Theologos cum illo ſentientes, fraternam & abſolutam communionem non ſolùm poſtulabant, ſed eſſe ineundam demonſtrare volebant, nec quicquam quod eò conducere potuit prætermittebant.

Hoſp. Hiſtor. Sacr. An. 1529.

Idem Ann. 1537.

Ibid.

Porrò,

Porrò, quàm poſſibilis ſit inter Eccleſias Reformatas hæc unio fraterna & communio, atteſtatur conſenſus ille Polonicarum Eccleſiarum non ità pridem Sendomiriæ initus & hactenus religiosè obſervatus. Non illi omnes controverſias è medio tollere potuerunt, ſed omnibus diſſidiis valedicere potuerunt, atque tam arctam inter ſe communionem ſtabilire, ut alii alios ſive ad verbi prædicati auditionem ſive ad Sacramentorum uſum in ſuos cœtus admittere non recuſarent. Quam ſanctam fraternámque Eccleſiarum Polonicarum conjunctionem ſapientiſſimus Princeps Ludovicus Elector ac Comes Palatinus non modò per literas illis gratulatus eſt, ſed eandem Germanicis Eccleſiis à Deo Opt. Max. comprecatus. Quod itaque pacifico Solomoni de templi Hieroſolymitani ædificatione olim dictum eſt, id ego dixerim omnibus pacificis Theologis de Eccleſiarum Reformatarum conſociatione; *Surgite, Viri optimi, agite hoc negotium; & erit Dominus vobiſcum:* Nè dubitetis id jam fieri poſſe, quod alibi factum omnes agnoſcunt. Sed nè vanum hoc Impoſſibilitatis terriculamentum Principum, Theologorum, aut quorumvis piorum Chriſtianorum hac in re conatus poſſit retardare, enumerabo illa obſtacula quæ revera efficiunt communionem Eccleſiarum planè impoſſibilem; unde

1. Chron. 22.16.

conſtabit nihil tale obſiſtere quò minùs Germanicæ Eccleſiæ, etiam pendentibus controverſiis, fraternam communionem inter ſe inire poſſint,& initam ſanctè conſervare.

Primum igitur & maximum obſtaculum quo impediuntur Eccleſiæ nondum conſpirantes in omnibus Theologicis quæſtionibus nè in unum coaleſcant, eſt uſurpatum unius in alteram dominium ac tyrannicæ cujuſdam poteſtatis exercitium.

Nam ſi una aliqua Eccleſia velit ità dominari in fidem aliarum, ut pro fratribus nullos agnoſcat, aut in communionem ſecum admittat, niſi credendi ac loquendi legem ab eadem priùs accipiant, in quarumcunque opinionum diſſidio nulla ſpes relinquitur ineundæ aut conſervandæ fraternæ unionis. Vetat ſiquidem ſacra Scriptura nè hunc in modum faciamus nos quorumvis mortalium mancipia; vetat unicus Magiſter nè hunc in modum magiſtros terrenos fidei noſtræ Dominos agnoſcamus. Quæ hâc lege in communionem alterius Eccleſiæ recipitur, non pacem indè acquirit, ſed iniquiſſimæ ſervitutis pactionem. Sola Romanenſis Eccleſia eò ſuperbiæ ac dementiæ proceſſit, ut exturbet è communione Sanctorum & orco devoveat Eccleſias omnes Antichriſtianum hoc abſolutæ & cæcæ obedientiæ jugum ſubire recuſantes. Avertat Deus ab omnibus

Proteſtan-

Proteſtantium Eccleſiis hanc Papiſtarum inſaniam; quâ prævalente conjunctionem Eccleſiarum, quam omnes deſiderare debemus, nè ſperare quidem, imò nec optare liceret. Sed (Deo laus) notum eſt, certum eſt, omnes & ſingulas Reformatas Eccleſias ab hac Antichriſtiana dominandi libidine toto animo abhorrere. Sublatus itaque è medio eſt primarius obex, qui inter Eccleſias per omnia nondum conſpirantes facere ſolet ſchiſma perpetuum, eadémque operâ unionem reddit reapſe impoſsibilem.

Secundum obſtaculum, quo interveniente unio & communio diverſarum Eccleſiarum (Saxonicarum, putà, & Helveticarum) fiat impoſsibilis, eſt cultûs Idololatrici ex una parte approbatio, ex altera deteſtatio. Notum ſiquidem eſt piis omnibus illud apud Hoſeam, *Si fornicatur* Cap.4.15.
Iſrael, non delinquat Juda: nolite ingredi,
&c. & illud Apoſtolicum, *Quis conſenſus* 2.Cor.6.
templo Dei cum idolis? aliáque in eandem 16.
ſententiam penè infinita. Nec malè hac de re Tertullianus; *Principale crimen generis humani, ſummus ſeculi reatus idololatria.* Deo igitur tam ſeverè mandante, ut idola ac idololatriam omnem quacunq; ſpecie obvelatam fugiamus, impoſsibile moraliter habendum eſt quod fieri nequit abſque idololatrica aliqua contaminatione, & Divinæ Majeſtatis graviſsima offenſione.

ſione. En grande & horrendum obſtaculum, quo Eccleſiæ Reformatæ non abſque ſummo animi dolore & horrore coguntur extra Eccleſiæ Romanæ communionem manere. Sic enim iſti depereunt idola ſua, ſic obtrudunt ſuis omnibus adoranda, ut in communionem cum illis nemo venire poſsit, aut ſaltem permanere, niſi eâdem operâ manifeſtarius idololatra velit evadere. Si Eccleſiæ Germanicæ ſanctam inter ſe communionem inire & retinere non poſſent, quin aut exercere cultum idololatricum tenerentur, aut ſaltem credere & profiteri talem cultum non eſſe illicitum, communionem quæ obtineri non poſſet abſque tam duris & diris conditionibus ego Impoſsibilem affirmare non dubitarem. Poſſumus enim id ſolum quod jure poſſumus, ut ipſi Juriſconſulti loqui ſolent. Eſt autem quòd hìc iterum iterúmque Deo gratias agamus, qui Eccleſias Reformatas, utcunque in omnibus ſcientiæ Theologicæ concluſionibus minimè concordes, in damnanda tamen & abolenda idololatria unanimes fecit & mirabiliter conſpirantes. Si ergò hâc ipsâ horâ Evangelicæ Eccleſiæ ad unam omnes in fraternam communionem convenire cupiant, nè minima quidem contaminatio idololatrica ulla ex parte eſſet metuenda. Faceſſat itaque omnis qui ab hac cauſa peti poteſt Impoſsibilitatis prætextus, nec ab hoc ſancto propoſito

poſito & opere aut animos piorum avertat aut conatus.

Tertium & ultimum obſtaculum unde diverſarum Eccleſiarum inter ſe communio habeatur impoſsibilis, eſt fundamentalis alicujus articuli, ad ſalutem Chriſtianorum cognitu & creditu neceſſarii, ex una parte catholica aſſertio & defenſio, ex altera hæretica pernegatio & oppugnatio. Cum hæreticis enim Chriſtianæ noſtræ fidei fundamenta ſubvertentibus in unum coaleſcere, eſt à Chriſto Eccleſiæ fundamento diſsilire. De hoc obice, quia maximi momenti res eſt, paulò fuſiùs erit diſſerendum.

Imprimis igitur Fundamentalem articulum habendum ſentio, qui ex voluntate Dei revelantis ad ſalutem & æternam beatitudinem conſequendam eſt adeò ſcitu & creditu neceſſarius ut ex illius ignoratione, ac multò magìs oppugnatione, æternæ vitæ amittendæ manifeſtum periculum incurratur. Non noſtri ſeculi Theologis incumbit hoc negotium , ut populo Chriſtiano novos ac fundamentales Catholicæ fidei articulos procudant. Qui Apoſtolorum & primitivæ Eccleſiæ temporibus non fuit fundamentalis , noſtris affirmationibus, altercationibus,anathematiſmis nunquam evadet fundamentalis. Prima hæc Credibilia quæ ex toto Scripturæ corpore in Symbolum Apoſtolicum

collecta & comportata habemus, conſtituunt illam fundamentalis fidei regulam quam Auguſtinus *puſillis magniſque communem* vocat, atque ab omnibus perſeveranter tenendam decernit. De qua in eandem ferè ſententiam Hilarius; *Tutiſſimum nobis eſt primam & ſolam Evangelicam fidem in baptiſmate confeſſam intellectámque retinere.* Atque ad hoſce fundamentales articulos puto reſpexiſſe Apoſtolum, quando Titum vocat *genuinum filium ſuum* κατὰ κοινὴν πίστιν, *ſecundùm fidem communem.* Communis hæc fides Symbolo Apoſtolico comprehenſa, omnibus Chriſtianis credenda proponit, admirandum creaturarum omnium ex nihilo Opificium, adorandæ Trinitatis imperveſtigabile myſterium, Chriſti Incarnati, Paſsi, Reſurgentis, Glorificati miſeris peccatoribus impenſum beneficium; quæq; indè dimanant, Redemtionem humani generis, Sanctificationem peculiaris populi, Communionem horum Sanctorum inter ſe, Remiſsionem peccatorum, Reſurrectionem corporum, Glorificationem fidelium. Qui credit omnia quæ hoc brevi Symbolo comprehenſa habemus, vitámque Chriſti præceptis conformem agere conatur, ex albo Chriſtianorum non eſt expungendus, neque à communione cum aliis Chriſtianæ cujuſcunque Eccleſiæ membris abigendus. E contrà, qui ullum ex hiſce articulis

Epiſt. 57. ad Dardan.

Ad Conſtant. Auguſt.

Tit. 1. 3.

lis furcillat aut ſugillat,licèt nomen Chriſtiani ſibi vendicet, ab orthodoxorũ communione arcendus eſt & procul amandandus. Agnoſco tamen dogmata multa præter hoſce articulos in S. Scripturis contineri, atque ex S. Scripturis per firmam conſequentiam poſſe deduci,quæ ſunt cognitu perquam utilia, & ad profectum in Theologica ſcientia multùm conducunt: ſed ſub amittendæ ſalutis aut communionis periculo tum demũ tenenda ſunt, cùm in Scripturis cõtineri,vel ex Scripturis neceſſariò conſequi, manifeſtè declarentur & intelligantur. In hiſce ſiqua Eccleſia non poteſt veram ſuam ſententiam aliis Eccleſiis ità manifeſtam reddere ut eas in eandem pertrahat,renunciare debet illarum erroribus, fraternæ tamen communioni propter hoſce errores renunciare non debet. Hiſce addo, Quòd etiamſi locus aliquis ſacroſanctæ Scripturæ videatur hiſce Eccleſiis fundamentalem articulum ſtabilire, aliis non videatur, non eſt tamen in hoc opinionum diſcrimine ſatis juſta cauſa communionis abrumpendæ, modò utraque ipſum articulum piè credat, & in aliis Scripturæ ſanctæ locis clarè & ſolidè fundatum agnoſcat. Denique & illud adjungendum, Non eſſe impoſſibile, neque à bonorum Chriſtianorum officio alienum, cum illis Eccleſiis communionem retinere quæ nobis opinionem aliquam ſequi videntur

quæ

quæ revera non poteſt cum fundamentali articulo cohærere, dummodo ipſum articulum explicitè profiteantur & ambabus (quod aiunt) ulnis amplexentur. Abhorret enim à charitate, imò à recta ratione, ut quis propter conſequentias nec intellectas nec à ſe conceſſas putetur fundamentalem articulum negaſſe aut rejeciſſe, quem firmiter credit, explicitè aſſerit, & ſi opus eſſet veritatem ejuſdem vel ſanguine ſuo obſignaret. Verior & benignior eſt illa magni & pacifici Theologi ſententia; *Buccrus.* Noſtrum eſt non quid per ſe ex quovis ſequatur dogmate, ſed quid in illorum ſequatur conſcientia ſpectare qui tenent illud dogma quod nos articulo fundamentali oppoſitum arbitramur. Quemadmodum enim qui verum aliquod principium credit, non ſtatim credit aut intelligit ea omnia quæ à doctioribus per conſequentias indè deduci poſſunt; ità qui falſam aliquam opinionem tenet, non protinus tenet omnia quæ perſpicaciores huic falſæ opinioni connexa & conſequentia eſſe animadvertunt. Urgere licet hujuſmodi conſequentias ad errorem fratribus eripiendum; at odiosè impingere, quaſi eſſent propria illorum dogmata, non licet. Quàm latè hoc pateat, quantúmque valeat ad ſtabiliendum inter Eccleſias Reformatas fraternam unionem, prudentes & pacis Eccleſiaſticæ amantes

facilè

facilè animadvertent. Nam ſi concedatur impoſſibilem (id eſt, illicitam) eſſe ſolummodo communionem cum illis cœtibus qui explicitè rejiciunt articulum aliquem fundamentalem, aut hæreſin tuentur quæ Cor petit & à communione cum ipſo Chriſto abſcindit, illud etiam conſequetur, inter Eccleſias ſanas & malè affectas, vel inter Eccleſias notæ purioris & impurioris, poſſe conſtare hanc fraternam quam deſideramus inter Eccleſias Germanicas communionem. Recedant ergò Eccleſiæ fundamento adhærentes ab apoſtaticis, at interim ab errantibus in iis quæ levioris ſunt momenti, nec a Chriſto vitæ fonte disjungunt, nè recedant. Jubet Apoſtolus *infirmos in fide aſſumere*, non abjicere. Rom.14.1. *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere*, inquit idem Apoſtolus. Rom.15.1. Nimiùm ſibi placet illa Eccleſia quæ alias in quibus nec invenitur tyrannis, nec idololatria, nec hæreſis mortifera, propter aliquam intelligentiæ infirmitatem, tanquam ſuâ communione indignas, aſſpernatur. Non ſic priſcæ Eccleſiæ Patres, quorum ſtudia in conſociandis particularibus Eccleſiis per orbem diſperſis, apud Centuriatores per ſingulas annorum centurias licet obſervare. Sed illud propoſito noſtro aptiſſimè inſervit quod ſcripſit Optatus Milevitanus; *Eccleſias per totum orbem commercio formatarum* Lib.2.cap.7.

rum in una communionis ſocietate potuiſſe concordare. In illis autem formatis pacificis ſive ſynodalibus literis nil aliud continebatur præter confeſſionem Catholicæ fidei in ſymbolis ſtabilitæ, ac in Conciliis Niceno, Chalcedonenſi aliiſque communi Eccleſiæ univerſalis conſenſu contra hæreticos breviter explicatæ. De infinitis aliis quæſtionibus quæ inter privatos diſperſarum Eccleſiarum Doctores oriri & agitari potuerunt, nulla Eccleſia conſenſionis abſolutæ formulam ab aliis aut exigebat aut exſpectabat. Nam ſi abſque hac impoſſibilis judicata fuiſſet particularium Eccleſiarum fraterna communio, ad eam conteſſerandam & conteſtandam non ſynodalibus Epiſtolis aut brevibus Confeſſionum formulis, ſed ingentibus Controverſiarum voluminibus opus fuiſſet. Quòd ſi ab antiquis Patribus diſcere recuſamus, at ab hoſtibus tandem aliquando diſcamus, non eſſe impoſſibilem fraternam animorum, officiorum, Sacramentorum communionem inter illas Eccleſias quæ de Controverſiis nunquam definiendis contrarias ſententias defendunt. Nil dicam de Thomiſtarum & Scotiſtarum, nil de Dominicanorum & Jeſuitarum altercationibus: Inter ipſas Romanæ Religionis Eccleſias verſatur & vexatur una controverſia majoris momenti quàm ſunt omnes, ſi in unum congloben-

tur,

tur, de quibus litigant inter ſe Proteſtantes. Illam volo de infallibili Judice in omnibus Chriſtianæ fidei quæſtionibus. Hiſpanicæ & Italicæ Eccleſiæ tuentur Papam eſſe hunc ſupremum judicem, Chriſti ipſius autoritate irrefragabili munitum, & Spiritu veridico ſic afflatum & illuminatum ut in decretis ſuis & definitionibus quibus totam Eccleſiam obligare intendit, nullo modo errare poſſit: At Gallicanæ è contrà eundem deprimunt, de cathedra ſua infallibili deturbant, adeóque erroribus obnoxium ſtatuunt, ut ſi in fide aut in moribus judicio & autoritati univerſalis Concilii ſubeſſe & parere recuſet, pro Schiſmatico & Hæretico habendum & deponendum conclamitent. En de ipſa fidei Catholicæ columna magnum diſſidium! In hac tamen opinionum pugna fraternæ communionis inter Eccleſias ipſas nullum divortium. Nolite annunciare in Geth, neque annuncietis in compitis Aſcalonis, Philiſtæos in pacem ac unionem inter ſe colendam propenſiores eſſe quàm Iſraelitas. Denique, ſi inter Eccleſias particulares hujuſmodi controverſiæ impoſſibilem efficerent unionem, velim quis mihi oſtendat vel duas Eccleſias (quarum una alteri non eſt ſubjecta) quas alienari, divelli, & quaſi intergerino pariete diſterminari non ſit neceſſe. Niſi igitur eò redeamus, ut propter diſſenſum in fundamentalibus

libus tantummodo permittamus hanc ab aliis Eccleſiis ſeceſſionem, communio Eccleſiæ Catholicæ, tantopere olim celebrata, erit inane nomen & titulus fictitius, cui veritas ipſius rei nunquam reſpondebit. Donatiſtæ olim dicere ſolebant, periiſſe de cætero mundo Eccleſiam, & in parte Donati ſola remanſiſſe. Romanenſes etiam in hoc puri puti Donatiſtæ ſunt, qui vociferantur, in ſola parte Pontificis Romani Eccleſiam Catholicam inveniri. Noſtrum eſt ab hac ſchiſmatica pravitate abhorrere, & communionem fraternam cum omnibus Chriſtianis Eccleſiis conſervare & profiteri quas à Chriſto Capite per hæreſin aut idololatriam nondum disjunctas, aut ab aliis Eccleſiis propter uſurpatam tyrannidem minimè fugiendas judicamus.

Auguſt. De unitate Eccleſ. c. 12.

Quæ hactenus de Obſtaculis quæ Impoſſibilem faciunt diverſarum Eccleſiarum inter ſe communionem, & de Opinionibus diſcrepantibus quæ minimè faciunt, ſunt diſputata, eò ſpectant omnia, ut ſi inter Theologos conveniri poſſit, Controverſias quæ Reformatorum Eccleſias jamdiu exercuerunt & defatigarunt, non eſſe ejuſmodi, ut, ſive quis ad horum ſive illorum ſententiam accedat, à Chriſto & fundamentali fide diſcedere & in hæreſin fundamento contrariam incidere judicetur, etiam manentibus hiſce non tam Eccleſiarum quàm Scholarum diſſidiis, communionem

nionem fraternam inter Proteſtantium Eccleſias univerſas iniri & cuſtodiri poſſe fateamur. Non eſt mei inſtituti in ipſas controverſias me immergere: Doctiſſimos & celeberrimos Eccleſiarum Germanicarum Theologos tantummodo exoratos velim, ut pacificis animis & affectibus ſedatis percurrant omnes quæ inter ipſos agitantur quæſtiones: Peribit ſiquidem judicium ſi res tranſeat in affectum. Primaria, & mater ferè reliquarum omnium, eſt illa quæ de Modo præſentiæ corporis & ſanguinis Dominici in Euchariſtia adhuc manet indeciſa. Atque ad hanc quod attinet, poſt rem penſiculatè conſideratam pronunciavit undecunque doctiſſimus [a] Bucerus, *In re & animo fuiſſe concordiam, in verbis tantùm & loquendi modis aliquam varietatem.* Dixit olim ipſe [b] Lutherus, *Si creditis & docetis in ſacra Cœna verum corpus & verum ſanguinem Domini exhiberi, dari & ſumi, & non panem & vinum tantùm, & quòd hæc perceptio & exhibitio verè fiat & non imaginariè,* inter nos convenit. Eodem tempore conceſſit Bucerus ſociiique ejus, [c] *Verum Domini corpus & verum ſanguinem cum viſibilibus ſignis pane & vino exhiberi, dari & ſumi.* Scripſit olim Jacobus Andreæ; *Neque cum Capernaitis ſentimus, neque Tranſſubſtantiationem Pontificiorum recipimus, neque phyſicam & localem corporis*

a *In Epiſt. ad Luther.*

b *Contra Robert. Atringen. & alibi. Hoſp. Hiſtor. Sacr. pag. 144. ad Annum 1536.*

c *Ibidem*

Colloq. Momp. pag. 16.

ris & ſanguinis Chriſti in ſacra Cœna præſentiam aut incluſionem ſtatuimus. Neque vocabula illa Substantialiter, Corporaliter, Oraliter *quicquam aliud nobis niſi veram corporis & ſanguinis in ſacra Cœna præſentiam & manducationem ſignificant.* Jam quæ fuerit ſententia Helveticarum Eccleſiarum audiamus : *Quanquam negant fieri Transſubſtantiationem, nec ſentiunt fieri localem incluſionem in pane, aut durabilem aliquam conjunctionem extra uſum Sacramenti, tamen concedunt Sacramentali unione panem eſſe corpus Chriſti, & porrecto pane ſimul adeſſe & verè exhiberi corpus Chriſti.* Non lac lacti ſimilius quàm eſt illa Helveticarum Eccleſiarum ſententia ſententiæ Lutheranæ. Si quis tamen ſuſpicetur ſub hac verborum concordia latere adhuc poſſe aliquam ſententiarum repugnantiam, illud nihilo minùs urgendum eſt & quærendum, An ea talis ſit tantiq; momenti ut Eccleſiarū pacem ac unionem reddat impoſſibilem, ſchiſma & diſſociationem neceſſariam faciat & ſempiternam. Scio doctiſſimis & ſolidiſſimis Theologis extra partes & pulverem hujus diſcordiæ conſtitutis longè aliter videri. Jam quod ſpectat ad illas controverſias de Omnipræſentia corporis Chriſti, de Idiomatum communicatione, aliiſq; quas illa prior videtur peperiſſe, quiſquis cum judicio perpenderit quid utrinque conce-

Hoſp. Ann. 1536. pag. 145.

datur

datur quid negetur, perſpiciet illico nullum fundamentalem articulum ſive ab his ſive ab illis in dubium vocari, nedum oppugnari aut everti. Quicquid enim ab Eccleſia Catholica in Symbolis Conciliiſque univerſalibus hiſce de rebus definitum eſt, id utrique ſuſcipiunt & profitentur; quicquid rejectum & damnatum eſt, id utrique pariter rejiciunt & abominantur. Quòd autem per conſequentiarum funiculos alii alios aliquando pertrahere conantur in lutum ſordidorum Hæreticorum, id non tam mirandum quàm dolendum eſt. Novimus omnes diſputantium iracundorum conſuetudinem, præſertim poſtquam diu contendendo cœperint vehementer incaleſcere. breviter etiam antea attigimus quid de hæreſibus quæ per conſequentias minimè conceſſas aut intellectas aliis intentantur ſit ſentiendum. Impræſentiarum hoc unum ſufficiat ad communionis fraternæ poſſibilitatem demonſtrandam, quòd neuterubi ullum dogma fundamento fidei è diametro contrarium aut ſalutis (ut Tertulliani verbo utar) devoratorium explicitè defendatur; imò quæ talia ſunt, omnia ab utriſque clarè & explicitè damnentur.

Siquæ aliæ de Prædeſtinatione, de Libero arbitrio, aut conſimilibus natæ ſunt inter Eccleſias novæ lites, nullo colore obduci poſſunt ad Eccleſiarum communionem

nem impediendam. In hiſce etenim omnibus illud unicum ad Catholicam & fundamentalem fidem ſpectat, ut Gratia Dei gratuita in prædeſtinatione miſerorum, converſione peccatorum, liberatione humanarum voluntatum, perſeverantia denique & ſalute electorum ità plenè agnoſcatur, ut quicquid facit ad ſtatum gratiæ aut gloriæ adipiſcendum, quicquid in hoc ordine fit ab hominibus, id totum Deo detur, ac Divinæ gratiæ miſericordiǽque ſpeciali aſſignetur: E contrà, quicquid ad corruptionem humanæ naturæ, quicquid ad obſtinationem in peccato, quicquid ad liberi arbitrii vitioſitatem & ſervitutem ſpectat, quicquid denique ad æternam damnationem ducit miſeros mortales & in gehennam præcipitat, id omne nobis noſtríſque demeritis imputemus & à Deo longè faceſſere jubeamus. Dum hæc fixa manent immotáque (utì revera manent) quamvìs in doctrinis fundamento ſuperſtructis diverſos habeant concipiendi aut loquendi modos, imò quamvìs diverſas ſententias ſequantur, non ſunt hujuſmodi errores adeò capitales ut propter eoſdem capitale odium inter Eccleſias foveri aut perpetuum ſchiſma nutriri oporteat. Si ergò hoc ſemel conſtiterit inter Theologos, Illorum lites non fuiſſe aut eſſe de articulis fundamentalibus & cognitu ad ſalutem planè neceſſariis, ſimul conſtabit, Non eſſe impoſ-

impoſſibile ut Eccleſiarum unio & communio redintegretur, perniciosum hoc ſchiſma protinus auferatur, & beata pax in poſterum inter Eccleſias Germanicas ſanctè conſervetur. Jam proximum eſt, ex quo vidimus hanc unionem eſſe poſſibilem, ut conſideremus, Utrùm virtute Divini mandati & debiti ſui officii teneantur Principes, Doctores, totúſque adeò populus Chriſtianus, quiſque pro virili ſua eniti ut hæc fraterna inter Eccleſias communio quàm primùm commodè fieri poteſt ſtabiliatur.

Omnes ad hoc eſſe obligatos primo in loco videtur innuere illud Paulinum ab initio à nobis commemoratum, *Quoad fieri poteſt, & quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habete.* Si tanto ſtudio pax civilis & externa inter omnes homines conſervanda eſt, proculdubio ſpiritualis & Eccleſiaſtica inter Chriſtianos communio multò majore eſt procuranda & fovenda. Ubi igitur non obſtat ex parte rei invicta impoſſibilitas, excuſari non poteſt, quæ Divino mandato parere negligit aut renuit, ſive torpida ſive perverſa hominum voluntas. Neque eſt quòd quis obtendat, opinionum repugnantium diſſidia non poſſe adhuc conciliari. Si ſchiſmata Eccleſiarum interim tolli poſſunt (utì proculdubio poſſunt) ſuſpendi mallem ad collum meum molam aſinariam ac in pro- 1.

funda maris demergi, quàm aut impedire velim opus tam Deo gratum, tam ad ſcandala vitanda neceſſarium, aut illud non toto animo totiſque viribus promovere.

2. Huc accedit quod omnes neceſſe habent confiteri, veram & genuinam charitatem eſſe omnibus Eccleſiis & Chriſtianarum Eccleſiarum membris non minùs ad ſalutem neceſſariam quàm fidei orthodoxæ & ſalutiferæ veram & integram profeſſionem. Hoc etenim Inſigni Dominus & Servator noſter Jeſus Chriſtus diſtingui & diſcerni voluit germanos ſuos diſcipulos à falſis & adulterinis; *In hoc cognoſcent omnes quòd diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis adinvicem.* Jam ſingulorum conſcientiis relinquo judicandum qualis tandem illa charitas ſit quæ permittit Chriſtianas Eccleſias nullâ juſtâ cauſâ prohibitas, fraternitatis dextras mutuò abnegare, & ab ineunda unione perpetuò abhorrere. Nonne ſatìs eſt à fæno & à ſtipula, hoc eſt, ab erroribus, aliarum Eccleſiarum recedere, niſi ab ipſis etiam Eccleſiis quæ à Chriſto nondum receſſerunt facto ſchiſmate voluntario recedamus?

Johann. 13 35.

3. Ad hæc videor mihi obſervaſſe tam eos qui Zwinglianam quàm qui Lutheranam (uti vocare ſolent) doctrinam amplexantur, utrobique agnoſcere, Eccleſias quæ ſive

ve hanc ſive illam tenent, manere veras Chriſti Eccleſias, ſive vera ſub Chriſto Capite membra Catholicæ Eccleſiæ. Ipſi illuſtriſsimi Principes in Præfatione ſua ad formulam Concordiæ clarè profitentur, *Nequaquam conſilium & inſtitutum ſuum eſſe eos homines qui ex quadam animi ſimplicitate errant, nec tamen blaſphemi in veritatem doctrinæ cœleſtis ſunt, multò minùs totas Eccleſias quæ vel ſub Romano imperio ſunt vel alibi, damnare: neque dubitare ſe, multos pios in iis etiam Eccleſiis quæ hactenus non per omnia ſecum ſenſerunt reperiri.* Quinetiam Lucas Oſiander, cùm illi objectum fuiſſet quòd Calvinianos Diaboli Martyres appellaſſet, diligenter ſe purgat hunc in modum; *Qui meas audiverunt conciones, nulla ſe unquam convicia in Martyres Chriſti audiviſſe dicent. & publica mea ſcripta teſtantur, quòd eos qui in die Bartholomæi in Gallia trucidati ſunt Martyres ſanctos appellaverim.* Eſt itaque ſeriò perpendendum, an tutum, an pium, an cum officio Chriſtianarum Eccleſiarum conjunctum ſit, fraternitatis dextras ob quoſvis levioris momenti errores illis Eccleſiis non porrigere qui, hiſce erroribus non obſtantibus, Chriſti Martyres, imò ſancti fratres, poſſunt permanere. Velint, nolint, quicunque Chriſtum Fratrem ſuum primogenitum agnoſcunt, omnes ejuſdem Chriſti fratres communio-

Oſiand. Antiſt. pag. 75.

In Antiſt. pag. 91.

ne arctiſsimâ & fraternâ ſibi conjunctos habeant neceſſe eſt.

4. Porrò , nullus dubito quin Eccleſiæ Saxonicæ, Helveticæ, aliæque quæ ſive hiſce ſive illis adſtipulantur, agnoſcant ſe fraternam communionem cum hac noſtra Anglicana, Scotica, Hibernica, aliiſquè apud exteros Reformatis Eccleſiis habere ac retinere velle. Certè ad nos quod attinet, quamvìs non illis ſuffragemur in omnibus controverſæ Theologiæ apicibus, fratres tamen in Chriſto agnoſcimus, ac fraternam & ſacroſanctam nos habere cum illis communionem proteſtamur. Si autem ipſi pariter ſint erga nos animati, quâ æquitate Germanicæ Eccleſiæ ſeſe invicem privant illa fraternâ communione quam cum exteris retinere non formidant? Quod igitur Moſes compugnantibus Iſraelitis olim dixit, id Germanicis Eccleſiis inter ſe digladiantibus verè dici poteſt &

Act. 7. 26. verè refelli non poteſt; *Fratres eſtis: cur alii alios injuriâ afficitis?*

5. Denique, quod à Deo Opt. Max. pii omnes petere teneantur & fervidis precibus expoſcere, id proculdubio quò fiat tenentur ſtudium ſuum operámque omnem conferre: Quis autem non indies Deum ſolicitat pro florente & tranquillo Eccleſiæ ſtatu? quis non orat ut ea omnia quæ turbant, vexant, deturpant, aut quoquo pacto ſpiritualem Eccleſiæ ædificationem impediunt,

impediunt, è medio tollantur? Fuit hoc Regii Pſalmiſtæ votum: debet etiam eſſe Principum, Doctorum, Chriſtianorum omnium. Neque tantùm optavit omnia bona Eccleſiæ Dei, ſed quæſivit &, quantum in ſe, procuravit. fuit hoc illius officium: eſt proculdubio & noſtrum. Atque hîc nimis otioſus ſim, ſi longâ oratione Germanicis Eccleſiis patefacerem ſive pacis &. unionis commoda ſive diuturni ſchiſmatis incommoda. Oraculi inſtar eſt illud Prudentii, Pſal.122.9

——*Sciſſura domeſtica turbat*
Rem populi; titubátque foris quod diſſidet intus.

Quid igitur è re ſuarum Eccleſiarum ſit ipſi viderint; & ſtatuant apud ſe, id omne non modò petendum eſſe à Deo aſſiduis precibus, ſed ſummis & indefeſſis omnium conatibus, ut efficiatur & obtineatur, enitendum. Neque ſperent rerum inexperti ſe majorem gratiam apud Papiſtas inituros, minora incommoda ab illis paſſuros, ſi Calvinianis (quos vocant) ſeſe conſociare recuſaverint. Ab iſtis quid ſperandum ſit, Oſiander jamdudum indicavit: *Papiſtæ*, inquit, *non minùs Lutheranos exuunt quàm Zwinglianos iis locis ubi Romanus Pontifex, ſæviſſima illa & crudelis beſtia, plenum habet exercètque dominium.* *In Antiſt, pag.74.*
Qui igitur in maxima ſunt apud illos gratia plus ſperare nequeunt quàm Ulyſſi

apud Homerum gratificatur Polyphemus;
'Oδ. 1. Οὖτιν ἐγὼ πύματον ἔδομαι μετὰ οἷς ἑτάροισι.

citiùs illi devorabunt Calvinianos, ſeriùs Lutheranos; ad extremum tamen ſi poterunt devorabunt omnes.

Hactenus in eo operam poſuimus, ut hanc Germanicarum Eccleſiarum communionem non modò poſſibilem ſed ratione Divini mandati planè debitam ac neceſſariam eſſe intelligatur. Jam quibus modis & mediis divulſæ ac miſerè dilaceratæ Eccleſiæ poſſint in unum corpus commodiſſimè & celerrimè coaleſcere, reſtat ut dicamus. Quod facere conabor potiùs ut propenſionem animi mei in tam præclarum opus oſtendam, quàm quòd exiſtimem nobiliſſimas illas Eccleſias, & nunquam non copiâ doctorum, piorum ac pacificorum Theologorum inſtructiſſimas, conſiliis exterorum hac in re indigere.

Quandoquidem igitur prædictæ Controverſiæ verſari poſſunt aut inter diverſarum ditionum Eccleſias, quarum una alteri non eſt ſubjecta, aut inter Chriſtianos ejuſdem Eccleſiæ, qui eundem Principem vel ſummum Magiſtratum agnoſcunt; primò de Eccleſiis diverſis æquo jure utentibus, deinde de unius & ejuſdem Eccleſiæ membris, omnibus inter ſe conſociandis, eſt dicendum.

Ad diverſas Eccleſias in unam communionem

nionem reducendas ſentio viam magis aptam & accommodatam cogitari non poſſe, quàm eſt illa familiaris, ſedati & pacifici Colloquii inter delectos Principum autoritate Theologos inſtituendi. Nam ſi quis putet, convocato ex omnibus Reformatis Eccleſiis Concilio quæſtiones quæ tot annos exercuerunt doctiſſimorum virorum ingenia, poſſe paucis menſibus aut annis, aut unâ annorum centuriâ, ità definiri ut omnium conſenſus in omnibus hiſce Theologiæ controverſæ capitibus obtineatur,(bonâ bonorum veniâ dictum ſit) mihi videtur vix veriſimile. Infirmus ſiquidem humanæ mentis oculus ſubtilium controverſiarum minutias, cùm per quietem contemplatur, ægrè penetrat; at oppletus quaſi atro pulvere per motum diſputantium excitato, plerunque nè conſpicere quidem poteſt, aut intentis oculis intueri. Atque, ut quod res eſt dicamus, Concilia, præſertim generalia, inſervire potiùs debent claris fidei Chriſtianæ articulis contra hæreticos propugnandis & ſtatuminandis quàm difficilibus & minimè neceſſariis controverſiis aut diſceptandis aut definiendis. Redeamus ergò ad pacificam illam & fraternam quam modò laudavimus Collationem. quæ ſi eo animo inſtituatur quo oportet, & eo modo tractetur quo oportet, in ſpe magna ſumus, nos felicem Germanicarum Eccle-

ſiarum communionem propediem viſuros.

Hoc igitur imprimis omnium Collocutorum animis inſidere debet, Se non convocatos ut tanquam antagoniſtæ colluctentur, ſed ut tanquam fratres pacis ſtabiliendæ legitimas omnes vias perſcrutentur & ſequantur. Nam ſi ipſi inter ſe hanc contentionis ſerram putent reciprocandam, inter Eccleſias litigantes unionem & pacem redintegrandam nunquam perſuadebunt. Solitarum ergò diſputationum labyrinthos nè ingredi quidem conentur; ſed congreſſionem ſuam ad unam hanc lineam dirigant, ut Eccleſiis ſuis demonſtrent, nullam cauſam ſatìs juſtam eſſe cur mutuam unionem recuſent, & à dextra fraternitatis conjungenda diutius abhorreant. Ut hoc fiat, circa ſingulas controverſias, quid Eccleſiæ Catholicæ ſuffragiis olim definitum, & ſub anathemate ab omnibus credendum fuit, primo in loco ſtatuatur. Nam circa res maximè fundamentales ſuboriri poſſunt problemata quædam minimè fundamentalia, quæque priſci Patres, ſi ſuo ſeculo mota fuiſſent, cum periculo ſchiſmatis inter Eccleſias aut ſuſcitandi aut continuandi nunquam definire tentaſſent. Verbi causâ; Deum eſſe unum in Eſſentia, trinum in Perſonis inter ſe diſtinctis; Filium genitum eſſe è Patre; Spiritum Sanctum eſſe Patris & Filii Spiritum;

ritum; Haſce tres Perſonas eſſe coæternas & coæquales. meritò definita ſunt hæc omnia & inter articulos fundamentales collocata. Jam ſi quis contenderet, ea omnia quæ à Scholaſticis de Modo Procedendi aut Generandi diſceptantur, eſſe etiam fundamentalia & in alteram partem neceſſariò definienda, næ ille apud Chriſtum Chriſtíque Eccleſias temerario hoc ſuo judicio nullam gratiam iniret. Sic etiam, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum eſſe θεάνθρωπον, ac in una perſona habere humanam & Divinam naturam indiſſolubiliter unitam, nóſque Deo incarnato ſalutem noſtram debere, eſt Catholicæ ac ſalutiferæ fidei noſtræ ſolidiſſimum fundamentum: Attamen quicquid de Modo hujus unionis inexplicabili, quicquid de Modo præſentiæ corporalis in ſacra Cœna, quicquid de communicatis humanæ naturæ per gratiam unionis Proprietatibus, aut de humanæ naturæ Operationibus ab hac unione dependentibus quæri aut diſputari poteſt, non continuò ad fidem fundamentalem ſpectat, ſed ad peritiam Theologicam; & fortaſſe nè ad hanc quidem, ſed aliquando ad curioſitatem Theologorum, Sit itaque hæc prima & præcipua colloquentium Theologorum cura, accuratè diſtinguere & ſecernere fundamentalia à non-fundamentalibus; neque præ-

ſumere, quicquid fundamentali articulo contiguum videtur, eſſe protinus fundamentale.

Poſtquam de hiſce conſenſerint, curandũ eſt ut hæc fundamentalia paucis ac claris verbis exprimantur, & communi Eccleſiarum conſenſu ſtatuminanda proponantur.

De Anima. *Certa ſemper ſunt in paucis*, inquit Tertullianus : & quicquid ad ſalutem Chriſtianorum ſcitu neceſſarium eſt, quicquid nos meliores beatioréſque facit, in aperto ponitur. Nihil hîc loci eſt ſubtilibus diſtinctionibus quas ſola aquila aut ſerpens aliquis Epidaurius viſu percipere & diſcernere poteſt; nihil longarum explicationum laciniis ſive aſſumentis, quæ attexi plerunque videmus non tam ædificandis Chriſtianis in fide fundamentali quàm Doctorum contendentium opinionibus provehendis; nihil denique Metaphyſicis formalitatibus & abſtractis notionibus, quæ doctorum capita perturbare poſſunt, indoctorum animos ab ipſa fide Catholica deterrere, at neque horum neque illorum corda ad fidem articulorum fundamentalium amplexandam inflectere.

Jam verò cùm ea quæ ad fundamentalem & communem Eccleſiarum fidem pertinent paucis verbis & planis ac ſanis loquendi formulis ſunt comprehenſa, eáque ſepoſita & in medio relicta de quibus nondum convenit, proximum eſt, ut nitantur

tantur

tantur pacifici Theologi id omnibus perſuaſiſſimum facere, Quòd propter ea quæ ſine crimine aut diſpendio ſalutis à populo Chriſtiano neſciri poſſunt, non eſt cum diſcrimine Eccleſiarum, diſpendio pacis, ac ſcandalo ſchiſmatis, amplius hoſtiliter digladiandum. Quàm ſalubre & neceſſarium ſit hoc conſilium, temeritas & contraria praxis Romanæ Eccleſiæ facilè comprobavit. Dum enim illi minimè contenti articulis Symboli Apoſtolici aut Niceni, Tridentini conventiculi novos articulos orbi Chriſtiano obtrudere conantur, perpetuam ſchiſmatis perpetui inter Eccleſias materiam reliquerunt. Quantò conſultiùs fecit ſanctiſſimus martyr & doctiſſimus ſui ſeculi Pater Cyprianus, qui propter opinionum diſcrepantiam ſe vim nemini facturum, aut Dominicam pacem cum collegis ſuis violaturum, aut quenquam quòd diverſum à ſe ſenſerit jure communionis amoturum profitetur! Quâ Chriſtianâ charitate ac lenitate meliùs de Eccleſia Dei meruit errans Cyprianus, quàm Stephanus Romanus rectè ſentiens, & Eccleſias, quantum in in ſe fuit, ſchiſmatico ſpiritu dilacerans. Fretus hoc ſanctiſſimi Martyris exemplo & Auguſtini hac de re judicio, haud dubitem affirmare, inter Germanicarum Eccleſiarum Doctores, illos qui falluntur & tamen communionem fraternam cum aliis retinere

Epiſt. ad Stephan. & ad Jubaian. Præf. ad Concil. Carthag.

Vide Aug. De Bapt. lib. 2. cap. 4. 5.

retinere parati ſunt, eſſe à ſchiſmate coram Deo magìs excuſatos, quàm qui veras opiniones in hiſce controverſiis tuentur, & mutuam interim communionem cum aliis Eccleſiis eam deſiderantibus aſſpernantur. Obtento igitur conſenſu in fundamentalibus, quamvìs de cæteris Doctores plenè ac perfectè convenire non poſſint, in hoc tamen omnes conveniant, ut uno ore ac corde ad Deum conclament, *Nulla ſalus bello: pacem te poſcimus omnes.*

Si quis autem hìc quærat quid faciendum eſt de illis quæ componi nequeant controverſiis, nè illarum occaſione aut impediri poſſit pax & unio Eccleſiarum, aut turbari & denuo violari poſtquam conſtituta eſt, hæc mihi videntur ab utriuſque partis Theologis obſervanda.

Primò, quæ hactenus ab Antagoniſtis inter ipſum contentionis æſtum dicta aut ſcripta fuerunt acerbè magìs & malignè quàm penſiculatè & verè, ea omnia publico bono viciſſim condonentur, & perpetuâ ἀμνηστία ſepeliantur. Et ſi contigerit hujuſmodi ſcripta in poſterum recudi, id non fiat niſi purgato omni felle unde fraternæ contentionis malum poſſit recrudeſcere.

Secundò, cùm nemo patienter ferat ſe hæreſis ſtigmate inuri, cavendum nè quis Neſtoriani, Eutychiani, aut cujuſvis damnati hæretici nomine infametur qui

expreſsè

expreſsè damnat iſtorum hæreticorum damnata dogmata: Non poſſunt enim in communione fraterna firmiter permanere qui propter aliquam opinionum diſcrepantiam talibus contumeliis pergunt ſeſe invicem exaſperare. Quinetiam optandum eſſet, ut è medio faceſſerent iſta Lutheranorum, Zwinglianorum, Calvinianorum cognomenta, quæ factionis potiùs quàm fraternæ unionis inſignia ſunt, & antiquis Patribus nunquam placuerunt. Noluit Epiphanius ut Chriſtiani geſtarent *Epiph.* *ἐπίθετον ὄνομα*, ſed ſolo Chriſtianorum *Hær.42* nomine gauderent. *Non Petrianos, non* *& 70.* *Paulinos vocari nos oportet, ſed Chriſtianos*, inquit Nazianzenus. Omnium au- *Nazianz.* tem ſeveriſſimè Lactantius; *Chriſtiani eſſe* *Orat.30.* *deſierunt, qui Chriſti nomine omiſſo humana* *Inſtitut.* *& externa vocabula induerunt.* Sed ut *lib.4.cap.* *30.* quod res eſt dicam, induuntur potiùs particulares Eccleſiæ talibus cognomentis quàm ſeſe induunt aut indutos cupiunt.

Tertiò, quantum fieri poteſt, à popularibus concionibus ac vernaculo ſermone conſcriptis tractatibus removeantur arduæ omnes & indeciſæ controverſiæ, & habeantur potiùs inter exercitamenta Scholarum quàm alimenta animarum. Nullo enim incommodo ſubtiles quæſtiones & perplexæ controverſiæ à pulpitis abeſſe poſſunt; at charitas, quæ ex talium quæſtionum ventilatione lædi ſolet, abſque

extremo animarum periculo à cordibus Chriſtianorum abeſſe non poteſt. Ludit iſtis animus vulgi, non proficit; & cùm ludere deſierint, hiſce controverſiis minimè intellectis, pugnare inter ſe incipiunt & digladiari.

Poſtremò, ſi ipſis Doctoribus in poſterum allubeſcat de hiſce controverſiis ſermones ſerere aut ſcripta ſua in lucem edere, nunquam congrediantur ὁπλιτικῶς ἀλλὰ λογικῶς, ut prudenter monuit Nazianzenus. *Orat. 3. de Pace.* Sit hæc meta utriſque, non quoquo pacto fratres vincere aut pudefacere, ſed leniter comitérque inſtruere, & quaſi apprehenſâ manu in viam veritatis reducere. Qui hoc modo ab errore ſuo liberabitur, nunquam ſe victum ſed edoctum putabit, nec confundetur veluti ab hoſte ſuperatus & dejectus, ſed lætabitur quaſi à fratre adjutus & ſublevatus. Nemo enim proficiens erubeſcit.

Hactenus modum ineundæ pacis & conſervandæ unionis inter diverſas Eccleſias æquo jure utentes delineavimus. Sed quia accidere poteſt & ſæpe accidit ut ſub ditione unius Principis aut Eccleſiæ verſentur nonnulli docti indoctique qui per conſcientiam ſuam, ſive rectè informatam ſive erroneam, prohibentur nè in hiſce controverſiis communi ſententiæ ſubſcribant, quid circa tales ſit faciendum diſpiciamus. Ad Rectores Eccleſiarum quod attinet;

attinet; Si hiſce fratribus infirmis proſpectum cupiant, in articulos religionis, ſive confeſſionum formulas quas ab omnibus ſibi ſubditis ſuſcipi volunt & approbari, nè conjiciant minutos difficilium controverſiarum apices, aut ſubtilium quæſtionum deciſiones: quin potiùs attemperentur ad captum popularem, ædificationem indoctorum, ſalutem omnium. Perpendere oportet ſapientiam majorum noſtrorum, quorum confeſſiones antiquas ſi pacis turbandæ causâ de induſtria non interpolemus & novis opinionibus farciamus, nemo ſanus invenietur qui illis lubenti animo non ſubſcribat. Neque omnino opus eſt ut talibus additamentis prægravemus publicas Eccleſiarum confeſſiones, cùm Deus ipſe decreverit ad vitam beatam perducere populum ſuum, non per difficilium & longarum quæſtionum ſalebras, ſed per complanatam & compendiariam viam Fidei & Charitatis. Quorſum igitur diſceptationes & verborum pugnæ? Quid faciunt in confeſſionibus Eccleſiarum ſubtilitates Scholaſticorum? Tota ſalus Chriſtianorum conſiſtit in credendo & colendo, ut graviter olim dixit magnus Athanaſius. Hiſce accedit, quòd pacem vix ac nè vix quidem poſſunt cum aliis Eccleſiis minimè ſibi ſubjectis inviolatam conſervare qui propter eandem doctrinam quam illæ profitentur ſibi ſubditos perſequi & tanquam

In Orat. Unum eſſe Chriſtum.

tanquam hæreticos à communione ſua abſcindere pertendunt. Viderentur profectò tacitè hæreſin aliis Eccleſiis exprobrare, & hoc ipſo facto innuere, quòd licèt ore illos pro fratribus ſuis agnoſcant, corde tamen ab iiſdem valde abhorreant. Denique niſi confeſſionum publicarum formulæ ad doctrinas neceſſarias & minimè controverſas inter ipſos Reformatos coarctentur, id indè conſequetur incommodi, quòd multi Paſtores docti, pii, pacifici foràs excludentur, nec poterunt Eccleſiis in quibus vivunt inſervire. Siquis autem dubitet an licitè poſſint ſacroſanctam communionem inter ſe colere in una eadémque Eccleſia qui in omnibus Theologicæ doctrinæ capitibus unam eandémque per omnia ſententiam minimè amplexantur, id ego quidem extra omnem dubitationis aleam poni oportere exiſtimo. Nam quod attinet ad ſacram illam quam Chriſtiani inter ſe habent in Cœna Dominica communionem, in hiſce potiſſimùm conſiſtit; Quòd communi Spiritûs ſancti vinculo Eccleſiæ unico Capiti Chriſto conjungimur; quòd ejuſdem ſpiritûs ac ſalutiferæ fidei & charitatis nexibus inter nos cohæremus, & quaſi in unum corpus coaptamur; quòd denique tanquam commenſales eundem cibum potúmque vivificum, Chriſti ſcilicet carnem & ſanguinem, ad animarum noſtrarum ſalutem manducamus

camus & bibimus. In hiſce omnibus communionem profitentur qui ad eandem ſacram menſam admittuntur. Verùm enimvero ſicuti hâc mutuâ communione non profitemur nos omnes aut perfectum aut eundem gradum Theologicæ ſcientiæ adeptos; ità neque hoc facto proteſtamur, nos perfectam habere inter nos in omnibus Theologicæ doctrinæ capitibus conſenſionem, aut de ſingulis quæſtionibus eandem planè opinionem. Si durâ hâc lege ſtaret Chriſtianorum inter ſe communio, vix potuiſſent Petrus & Paulus inter ſe communicare; Corinthiorum certè Eccleſia in fruſta diſſiliiſſet; hiſce autem noſtris temporibus non facile eſſet invenire multos magni nominis Theologos qui bonâ conſcientiâ poſſent ejuſdem Cœnæ Dominicæ ſimul eſſe participes. Oportet igitur Rectores Eccleſiarum ſuæ ac communis infirmitatis conſcios cavere, nè dum rigidam nimis ac minimè neceſſariam à ſuis exigunt confeſſionem, dulciſſimam & maximè neceſſariam labefactare videantur Chriſtianorum inter ſe communionem. Tantum eſt de Eccleſiarum Gubernatoribus: Jam veniendum ad Miniſtros aut quoſvis Chriſtianos, qui communionem expetunt cum Eccleſiis in quibus degunt, neque tamen à conſcientiis ſuis impetrare poſſunt ut receptas omnes ejuſdem Eccleſiæ opiniones approbent aut

profi-

profiteantur. Horum officium erit ſeſe exhibere dociles & humiles, non pertinaces aut ſuperbos in defenſione illarum opinionum in quibus à communi Eccleſiæ ſententia recedunt. Docilis autem ac humilis habendus eſt, qui lubenter ac ſubmiſsè aures animúmque accommodat Eccleſiæ docenti, qui non ex vitioſo affectu immorigeræ voluntatis rejicit doctrinam propoſitam, ſed infirmitate intellectûs impeditur nè veritatem cernat in hiſce arduis controverſiis, quam doctiores & acutiores nullo fortaſſe negotio poſſunt diſcernere. Quia autem ſolius Dei eſt corda ſcrutari: noſtrum eſt in partem benigniorem ſemper propendere, & de quolibet præſumere, ubi contrarium non conſtat manifeſtis indiciis, quòd conſcientiâ potiùs quàm pertinaciâ ab aſſenſu præſtando retardetur & inhibeatur. Qui hunc in modum ſe geſſerint, non ſunt propter quaſvis erraticarum opinionum ſtipulas à communione Eccleſiarum in quibus vivunt ſeparandi & arcendi. Eâ tamen lege & conditione non ſunt arcendi, ſi minimè præſumſerint communem Eccleſiæ ſententiam oppugnare, aut ſuam privatam apud vulgus extollere & diſſeminare. Neque hoc ægrè ferre debent, qui pacis atque Eccleſiaſticæ communionis retinendæ cupidi ſunt. Fac etenim veram eſſe privati alicujus Doctoris aut Chriſtiani opinionem, erroneam

erroneam eſſe illam quæ ab Eccleſia defendi ſolet, tamen ſi error ſit in re aut opinione quæ ſalutem Chriſtianorum non impedit, multò ſatius eſt ut privati cujuſcunque Doctoris opinio vera in tenebris lateat quàm publica Eccleſiæ autoritas ipsâ luce palàm conculcetur, aut pax Eccleſiæ hâc minimè neceſſariâ opinionum contrariarum conflictatione, tanquam ventorum adverſantium turbine, concutiatur. Quòd ſi quis eam quam contra Eccleſiæ ſententiam tuetur opinionem tanti momenti eſſe ſibi perſuadeat ut ex ejus cognitione ſalus hominum dependeat, ſi Eccleſiæ Rectoribus idem non perſuaſerit, aut in aliam Eccleſiam divertere oportet, aut pro bono animarum Eccleſiæ cui ſubeſt cenſuram patienter tolerare.

Hæc ea ſunt, doctiſſime Duræe, quæ tuo rogatu ad te perſcribenda & mittenda exiſtimavi. Quæ ſi tibi aut aliis quibuſcunque uſui eſſe poſsint ad Eccleſiarum unionem promovendam, voto inſtitutóque meo abundè ſatisfactum eſt. Plura proculdubio & meliora ſuggerent quibus præſens Germanicarum Eccleſiarum conditio magìs ac meliùs nota ac perſpecta eſt. Mihi jam id unum reliquum erit, ſuppliciter Deum Opt. Max. precari, ut Principum corda inflectat ad hanc Eccleſiarum unionem ex animo deſiderandam, Theologorum animos illuminet ad ea

media

media quibus celerrimè ſtabiliri poteſt invenienda & adhibenda, omnium denique Chriſtianorum mentes accendat ad hanc pacem amplexandam & ad omnem poſteritatem propagandam. Faxit hoc Deus pacis propter Filium ſuum pacis noſtræ apud Patrem unicum ſequeſtrum & confectorem : Quibus cum Spiritu ſancto honor, gloria, benedictio in ſecula ſempiterna. Amen.

AD Fraternam Communionem inter Evangelicas Eccleſias reſtaurandam ADHORTATIO; In eo fundata, Quòd non diſſentiant in ullo Fundamentali Catholicæ fidei articulo.

Cap. I.

De incommodis & occaſionibus harum diſcordiarum, unà cum remediis ſtrictim indicatis.

QUod de clarorum virorum diſcordiis olim dixit Orator, id nos de Eccleſiarum verè dicere poſſumus; Non alios ſolere eſſe illarum exitus, niſi aut univerſarum interitum, aut victricium in reliquas injuſtum dominatum. Sperandum eſt inter Eccleſias Evângelicas nullam eſſe quæ affectat in cæteras dictatorium imperium: at valde tamen metuendum, nè diuturnis hiſce ac funeſtis contentionibus (quod Deus avertat) ſuum omnes accelerent interitum. Præſentem Cicero.

illarum

Cap. I. illarum ſtatum gemunt pii; & ex clade nonnullarum conjecturam faciunt quid periculi immineat univerſis, niſi magno ſuo malo edocti tandè aliquando ſapere & paci conciliandæ ex animo ſtudere incipiant. Nam dum pugna hæc gliſcit inter fratres, præbent hoſtibus ſuis perpetuam gaudendi & in omnes eccleſias inſultandi materiam; nec gaudendi tantùm & inſultandi, ſed nocendi & opprimendi opportunitates ſuppeditant infinitas. Neque ſuis rectè conſulunt, qui ob controverſias fortaſſe nunquam inter doctos terminandas, etiam ipſos indoctos agitari volunt & vexari diſſidiis ſempiternis. Si in hoc Scholaſtico pulvere eruditi ſoli cum eruditis luctari poſſent, minus indè ſequeretur incommodi: ſed minimè obſcurum eſt, vulgus Chriſtianorum utrinque ad partes & pugnas vocari: quorum animi ſimul ac minimè neceſſariis controverſiis implicantur, à maximè neceſſariis novæ obedientiæ fructibus & charitatis officiis avocantur. Quinetiam æquioribus Papiſtis atque ad lucem Evangelicam oculos aperire incipientibus hæc Evangelicorum certamina remoram objiciunt, nè ſe noſtris Eccleſiis adjungant, quas aut non poſſe aut (quod pejus eſt) cùm poſsint nolle tamen inter ſe conjungi animadvertunt. Vix denique agnoſcere videntur Evangelium eſſe potentiam Dei ad ſalutem omni credenti, qui ob haſce

nuper

nuper natas controverſias ſeceſsionem faciunt ab aliis Eccleſiis Evangelicis, quaſi de omniũ Chriſtianorum ſalute eſſet deſperandum qui exactam de hiſce controverſis dogmatibus ſcientiam nondũ ſunt aſſecuti. Cap. I.

Ad me quod attinet, ſentio non multum intereſſe, utrùm traditiones non ſcriptas cum ſacris Scripturis ex æquo copulemus, an controverſias noſtras cum ſolida & perſpicua doctrina Evangelii ſub eadem ſalutis neceſsitate cognoſcendas & credendas omnibus Eccleſiis obtrudamus. Cavendum itaque eſt, nè dum Paſtores Evangelici ex utraque parte jubent ſuos ab altera recedere tanquam à tabernaculis hominum impiorum aut hæreticorum, irruant interim & irrumpant in utroſque lupi Romanenſes, atque pertrahant in ſpeluncas ſuas non oves ſolummodo ſed quandoque etiam & paſtores. Si pacatis & fraternis animis de controverſis quæſtionibus inter ſe diſceptare poſſent Theologi, aliquid boni, aut ſaltem minus mali, indè ad Eccleſias redundaret : At cùm tot annorum experientiâ ſit compertiſsimum, illud vix aut nè vix quidem fieri poſſe, ſatius eſſet omnia hæc certamina conſopire quàm certando tot eccleſias in fruſta diſcerpere & dilaniare. Nam quæ fuit antiqua Hilarii querela, ea totius Chriſtianæ Eccleſiæ jam eſſe poteſt ; *Dum propter hæc alter alteri anathema eſſe cœpit, nemo*

Num 16. 26.

CAP. I. *nemo penè Chriſti eſt.* Cùm in omnium oculos incurrant hæc atque hiſce graviora incommoda ex diſſenſione Evangelicorum orta, quæramus quid potuit inter doctos, prudentes, pios viros tam acerbas & noxias contentiones ab initio parere, quid partas alere & indies corroborare, quid ut ad poſteros etiam tanquam bona quædam hæreditaria tranſmitterentur perſuadere.

Cauſam ſive occaſionem potiùs hiſce noſtris certaminibus præbuit ipſa rerum divinarum & ſupernaturalis ſcientiæ conditio. Nam ſicuti facile eſt animis illuminatis & ſanctificatis prono fidei obſequio amplecti omnia ad ſalutem cognitu neceſſaria quæ de Deo, de Chriſto, de credendis & agendis traduntur perſpicuè in ſacris Scripturis; ità velle ulteriùs in myſteria fidei penetrare quàm par eſt, velle conſequentias rationis noſtræ miniſterio indè deducere, velle eas fundamentalibus articulis annectere, res eſt difficultatis & periculi plena, atque controverſiarum & contentionum occaſio neceſſaria. Impoſſibile eſt etenim ut in illis quæ opitulante humano diſcurſu colliguntur non diſſentiant ſæpenumero, non ſubinde errent humana ingenia. At nemo interim rationis ſuæ inventa & opera non exoſculatur, tanquam prolem pulchram, & ex ipſis Scripturæ viſceribus enatam; aliorum autem

autem ratiocinationes & illationes, tanquam deformes & ex corruptæ rationis lacunis emerſas, deteſtatur. Ità fit, ut dum homines, in myſteriis fidei ſpeculari multa cupiunt quæ in Scripturarum ſpeculo clarè conſpici nequeunt, ſegetem uberiorem contentionis quàm cognitionis indè nanciſcantur. Huic malo aliquid remedii afferret, ſi utriuſque partis Theologi meminiſſe velint, utcunque omnes articuli fidei Catholicæ plani ſint & perſpicui, ac quaſi majuſculis literis in verbo Dei deſcripti, ità ut à currentibus legi poſſint, quæ tamen ex hiſce humani intellectûs negotiatione inferuntur, varia eſſe & multiformia, adeóque plerunque involuta ut ab oculatiſſimis Theologis diſcerni nequeant. Confidenter itaq; inniti debemus ſacrarum Scripturarum pronunciatis; at conſequentiis noſtris indè deductis non ità confidendum. Bene ex Ambroſio Lutherus; *Faceſſant Dialectici ubi credendum eſt piſcatoribus. Nam in myſteriis fidei majeſtas materiæ in anguſtias rationis ſeu ſyllogiſmorum includi non poteſt.* Unde idem Lutherus ſapienter nos monuit, ut in hiſce rebus quæ ſuperant captum rationis humanæ caveamus ab etymologia, analogia, conſequentiis & exemplis.

CAP. I.

Luth. Tom. 1. in diſp. pag. 413. B. & C.

Ipſa etiam humanæ cognitionis imperfectio (præſertim cùm acceſſerit perfectæ ſcientiæ noſtræ falſa opinio) neceſſariam

CAP. I. præbet perpetuis contentionibus occaſionem. Nos omnes in parte tantùm cognoſcimus, in parte res divinas apprehendimus: Ex ea igitur parte quâ non cognoſcimus, quâ non apprehendimus, cogitare debemus nos æquè facilè ac alios
Aug. De Civit. Dei, 15. 5. poſſe decipi. Si perfecti eſſemus, boni & boni inter ſe pugnare non poſſent: nondum autem perfecti poſſunt; imò non poſſunt non pugnare, niſi hujus imperfectionis ſuæ perpetuò memores ſint. Ut itaque diſſidia vitentur, ab omnibus divinum illud Apoſtoli monitum eſt ſemper
Rom. 12. 3 recolendum, Μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν. illud etiam adjungendum, Ut aliter atque nos ſentientes æquo animo ferre diſcamus, atque Deum aſſiduè oremus ut revelet nobis nondum bene notam veritatem.
Phil. 3. Interim autem, in eo ad quod pervenimus, eâdem regulâ incedamus omnes, & alii in alios bene affecti ſimus. Hæc eſſe veriſſima & utiliſſima non poſſumus inficias ire: Sed cur, hiſce conceſſis, indies nihilominus augentur controverſiæ? cur magìs magíſque pugna recrudeſcit? Si quod res eſt dicere liceat, ineſt omnibus mortalibus inordinatus amor ſui & ſuorum inventorum ac placitorum. quod vitium in cauſa eſt ut minimè percipiamus falſitatem opinionum à nobis ſemel conceptarum, nec veritatem ab aliis oſtenſam

in

in animum admittere dignemur. *Periit ſiquidem judicium poſtquam res tranſiit in affectum; & noſtram qualemcunque, quia noſtra jam facta eſt, prævalere volumus ſententiam.* Ubi regnat hæc φιλαυτία, (quicquid præ ſe ferunt) majore ſtudio Scripturas coaptabunt Theologi ad opiniones ſuas, quàm è contrá; & fundamentales Chriſtianæ fidei articulos obtorto collo rapient ad ſuffulciendum dogmata ſua non-fundamentalia. Huic morbo epidemico ſi quis medicamentum reperire poſſet, controverſias multas, contentiones omnes (acerbas ſaltem illas & hoſtiles) ſedatas illico videremus & conſopitas. Sed (quod deplorandum eſt) ſui amore nimium abreptos Theologos longiùs provehere ſolet aura popularis & inanis gloriæ ſtudium quàm ipſi ab initio aut voluerunt aut fieri poſſe cogitarunt. Nam hoc malo vexati humana & divina omnia vexabunt, potiùs quàm ſe deceptos, pugnæ pertæſos, aut ab antagoniſtis ſuperatos fateantur. Imò niſi vincere & ante currum ſuum ducere adverſarios poſſint quaſi per triumphum, ſtat illis ſententia perpetuo & internecino bello Eccleſias Evangelicas collidere. Non me latet, ſtudium veritatis ac Divinæ gloriæ obtendi ab omnibus; ſed inanis gloriæ cupiditate nimis multos accendi ad hæc prælia continuanda, utinam liceat negare & ſimul verum dicere.

Cap. 1. *Auguſt. contra Julian. lib. 1.*

CAP. I. Vix profectò credibile eſt, illos quos latere non poteſt quantum detrimenti ex hiſce Evangelicorum diſſidiis ceperint reſpublicæ, Eccleſiæ, animæ pretioſiſſimo Chriſti ſanguine redemtæ, poſſe habere inter contendendum oculos in gloriam Dei ſolummodo defixos. Scrutentur itaque conſcientias ſuas ex utraque parte fervidi diſputatores, nunquid haſce controverſias & Eccleſiarum diſſenſiones faciant perpetuas, nè decedat aliquid gloriæ Divinæ, an potiùs nè deſit gloriolæ ſuæ apta & perpetua materia. Alias horum diſſidiorum occaſiones & cauſas non vacat commemorare: de unica tantùm quæ illas fecit quaſi hæreditarias paulò fuſiùs dicendum eſt; quia niſi Deus Eccleſiarum Evangelicarum miſertus novam mentem Theologis indat, hoc faciet eas proculdubio ſempiternas. Inſedit opinio multorum piorum ac doctorum Theologorum animis, ea quæ verſantur in controverſia inter Evangelicos tanti eſſe momenti, ut qui in illis errare deprehendantur, fundamenta fidei Catholicæ & ſalutis humanæ convellere imò evertere convincantur. Hinc dum utrique veritatem à ſuis partibus ſtare habent perſuaſiſſimum, perſuadeant quoque ſibi neceſſe eſt ab adverſariis ipſa Chriſtianæ fidei fundamenta oppugnari & labefactari. Quod itaque olim Jonas

Jonæ 4. 9. Deo dixit, Se rectè facere quòd uſque ad mortem

mortem iraſcatur ob ſucciſam ſuam hederam, id illi dicere ſolent, Se bene facere quòd uſque ad mortem contendant cum hoſtibus Evangelicis ob everſa (ut ipſi autumant) humanæ ſalutis fundamenta. Non eſt mirandum viros bonos hâc opinione imbutos à pace & fraterna communione cum talibus ineunda vehementer abhorruiſſe. Quandoquidem igitur tam diuturnæ diſſenſionis hæc princeps cauſa meritò ſit habenda, abducamus pauliſper à receptis opinionibus mentis noſtræ aciem, & quid de Fundamento, quid de Fundamentalibus ſentiendum ſit, ſedatis affectibus diſquiramus. Cap. 2.

CAP. II.

De ſignificatione horum vocabulorum, Fundamentum, Fundamentale, *quæ ſæpenumero in hac diſſertatione occurrent.*

A Verborum explicatione ordiri oportet qui in rerum ipſarum cognitione errare nolit. Nam rectè Plato, Ὃς ἂν τὰ ὀνόματα εἰδῇ, εἴσεται καὶ τὰ πράγματα. *In Cratylo.* *Fundamenti* igitur vocabulum eſt metaphoricum, ab ædificantibus ſumtum; atq; denotat illud totius ſtructuræ Firmamentum in imo poſitum, quo ſuſtentatur ædificium, quóque ſubducto corruit protinus & in fruſta dilabitur.

Cap. 2. Quandoquidem igitur Eccleſia *Civitas*
Pſal.122. *Dei*, *Domus Jehovæ* appellatur, habeat ne-
et 47. ceſſe eſt fundamentum aliquod, cui dum ſuperincumbit & innititur ſalva maneat & incolumis, à quo ſi recedat & reſiliat, illico pereat & in nihilum redigatur. Perſpicuum itaque eſt, cùm de Eccleſia à Deo fundata loquimur, id Fundamenti nomen ac naturam habere quo ſuſtentantur omnes ejus partes, & à quo firmitatem ac ſalutem ſuam mutuantur. Atque ut in magno aliquo ædificio ſingulæ partes non habent idem robur aut eandem pulchritudinem; imò nonnullæ quandoque videri poſſunt aliquantulùm inclinatiores in ruinam, quæ tamen adhuc ſubſiſtunt & Fundamento ſuo adhærent: ità in diffuſo hoc ſpirituali ædificio, quam Dei Domum ſive Eccleſiam Dei vocamus, magna eſt particularium Eccleſiarum differentia. Nonnullæ etenim pulchriores ſunt cæteris & firmiores, quia Fundamento ſuo meliùs & arctiùs conjunguntur; nonnullæ deformatæ aliquantùm & labefactatæ, quia Fundamento ſuo non ità firmiter adhærent: omnes tamen quæ à Fundamento nondum divulſæ ſunt, ejus beneficio & virtute ſuſtentantur, & cum firmioribus ac pulchrioribus ædificii partibus connectuntur.

Ex hiſce paucis non obſcurum eſt, quale ſit illud quod Fundamenti nomen ſibi vendicat,

vendicat, cùm de Eccleſiis loquimur. Videamus jam qualia ſint quæ, retentâ ejuſdem metaphoræ ratione, *Fundamentalia* à nobis appellari ſolent. Hoc illud vocabulum eſt quod Theologis in toto hoc Pacificationis negotio procurando maximum faceſſit negotium. Hìc autem imprimis obſervandum eſt, longè alio modo fundari ædificium materiale, quod ex lignis & lapidibus exſtruitur, atque fundatur ædificium ſpirituale, quod ex arboribus & lapidibus vivis, id eſt, ex hominibus ratione ac voluntate utentibus, ædificatur. Nam in hoc vivo & animato ædificio nihil habet debitam conjunctionem cum Fundamento, aut ullam firmitatem à Fundamento, niſi mediante actu Rationis & Cognitionis eidem copuletur, ac mediante actu Voluntatis eidem inhæreat & obſequatur. Illa igitur rectè cenſentur & vocantur Fundamentalia, quibus cognitis Chriſtiani poſſunt cum ſuo Fundamento habere conjunctionem ſalutiferam, & quibus non cognitis aut creditis nullo modo poſſunt. Pari ratione ſi voluntatem ſpectemus, illa practica dici debent Fundamentalia, quibus obſervatis ſive factis manere poſſumus Fundamento noſtro conjuncti, quibus ſpretis ſive neglectis non poſſumus. Sit itaque quantumvìs imperfecta Chriſtianorum ſcientia; ſi tamen hæc Fundamentalia ſciunt & credunt, non

Cap. 2.

Cap. 2. erunt ob defectum intellectûs à ſuo Fundamento ſeparati. Sit quantumvìs imperfecta Chriſtianorum juſtitia; ſi tamen hæc fundamentalia faciunt, non erunt ob defectum bonę voluntatis à ſuo Fundamento alieni. Tanti momenti cùm ſit apud Deum coaptari & conjungi huic Fundamento noſtro, ut vitam ac ſalutem omnibus hunc in modum conjunctis polliceatur, nobis valde cavendum eſt, nè temerè hanc conjunctionem cuivis Eccleſiæ particulari aut homini ſingulari denegemus, atque eâdem operâ omnem vitæ ac ſalutis ſpem eidem abjudicemus.

Sed quia præter metaphorica hæc Fundamenti & Fundamentalium vocabula, alia quandoque uſurpantur quæ eandem vim habent, & eandem Eccleſiæ ab alio dependentiam inſinuant, de illis quoque breviter eſt aliquid dicendum. Quod igitur Eccleſiæ *Fundamentum* dicitur quando ædificio comparatur, id *Caput* etiam dicitur cùm homini aſſimilatur, id *Radix* dicitur cùm arbori confertur. *Caput* vocatur non aliam ob cauſam, quàm quòd membra ſibi unita ſuſtinere, conſervare ſpirituali virtute, & vitâ perfundere nunquam ceſſat. *Radix* appellatur eâdem planè notione, quia in omnes ramos ſive ſurculos ſibi inſitos vitalem ſuccum diſpergit. Sicuti ergò dogmata Fundamentalia habentur quæ ad Chriſtianos Fundamento ſuo

ſuo conjungendos ſunt ſatìs efficaces & abſolutè neceſſarii, ità Capitales articuli aut Radicales etiam appellari poſſunt quibus cognitis & creditis quæcunque myſtici corporis membra poſſunt vivifico ſuo Capiti uniri, quicunque rami ſalutiferâ Radice ſuâ inniti & in eadem defigi. Cap. 2.

Porrò, ſicut non aptè dicitur Fundamentum quicquid utiliter adhibetur circa ædificium, ſed quod ità ſubſternitur ædificio ut abſque illo ſuſtentari nequeat, cum illo conjunctum & copulatum firmiter ſubſiſtere poſſit; ità neque propriè dicantur Fundamentales doctrinæ quæcunque utiles ſunt ad ædificationem promovendam, ſed quæ ità cognitu neceſſariæ ſunt ut abſque eis nulla poſſit eſſe copulatio ædificii cum fundamento, iis poſitis poſſit haberi conjunctio ſalutifera etiamſi deſint nonnulla quæ ad perficiendam hominis Chriſtiani ſcientiam requirantur. Cum Apoſtolo denique agnoſcamus, Totam Scripturam eſſe utilem ad docendum, arguendum, corrigendum, erudiendum quoſvis Chriſtianos in juſtitia, pietate ac veritate: ſed quaſlibet propoſitiones in Scriptura fundatas non vocamus dogmata Fundamentalia, quia ipſa metaphoræ ratio & rei natura id prohibet. Tanneri ſtoliditas in re conſimili fuit olim omnibus deridiculo, quando contendebat in Colloquio Ratisbonenſi, Eſſe fidei Chri- 2. Tim. 3. 16.

ſtianæ articulum quicquid in Scriptura affirmatur; utpote, Quòd Tobias canem habuerit.

Sed nè diutiùs quàm par eſt in nuda verborum ſignificatione tractanda immoremur, ſit hoc fixum & ſtabilitum; *Fundamenti* & *Fundamentalium* denominationem iis ſolummodo rebus competere quæ in ordine ad fundata ſunt abſolutæ neceſſitatis & ſalutiferæ poteſtatis. Hoc ſenſu triplicem Fundamenti diſtinctionem apud Theologos reperio. Eſt Perſonale fundamentum Eccleſiæ, unicum & propriiſſimè dictum. Sunt Miniſterialia fundamenta Eccleſiarum, ſic nuncupata, ſed non eâdem ſermonis proprietate. Sunt denique Doctrinalia quædam fundamenta, meritò ſic appellata, quia non paucorum Theologorum opinione ſed Catholicæ Eccleſiæ perpetuo judicio hunc honoris gradum meruerunt. Tota lis inter Evangelicas Eccleſias de hiſce poſtremis inſtituitur: quam tamen componere non eſt facile niſi de hiſce omnibus diſſeramus. Tantum eſt de vocabulorum notione & uſu: Ad hæc ſingula ſuo ordine tractanda jam accedemus.

Cap. III. Cap. 3.

De unico Perſonali Fundamento Eccleſiæ, Mediatore Dei & hominum Chriſto Jeſu Θεανθρώπῳ, deque vera cum illo conjunctione.

SApientiſſimus & humani generis amantiſſimus Deus fundare voluit Eccleſiam in æternum permanſuram, & contra ipſas inferorum portas prævalituram. Talis autem eſſe non potuit, niſi niteretur fundamento ſolido & æterno, & quod nullis viribus poſſet expugnari, nullis machinis labefactari. Non aliud itaque Eccleſiæ ſuæ fundamentum Deus ponendum indicavit quàm æternum æterni Patris Filium, Chriſtum Jeſum, quem *in mundum miſit, ut omnis qui credat in eum non pereat ſed habeat vitam æternam.* Hunc eſſe unicum Eccleſiæ Perſonale Fundamentum, Prophetæ & Apoſtoli unanimi conſenſu atteſtantur. Hinc à Davide *Lapis angularis*, ab Eſaia *Lapis probatus, pretioſus, in fundamento Sionis poſitus* perhibetur. *Hic eſt lapis reprobatus ab ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli. Et non eſt in aliquo alio ſalus. Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus.*

Iſai 60.21. Matth. 16. 18. Joh. 3.16. Pſal. 118. 22. Iſa. 28.16. Act. 4.11, 12. 1. Cor. 3.12

Quod autem de Fundamento hoc unico dictum eſt, idem de unico Capite, Sponſo, Radice Eccleſiæ intelligi debet, déque ali-

CAP. 3. is omnibus metaphoricis appellationibus quibus eadem dignitas Chriſti, eadem Eccleſiæ dependentia à Chriſto ſignificatur. Nam Chriſtus Θεάνθρωπος eſt unicum illud vivificum & ſalutiferum *Caput* Eccleſiæ, *ex quo totum corpus compactum & connexum eſt* : Eſt unicus Eccleſiæ *Sponſus*, *qui habet ſibi Sponſam*, *qui ſponſavit eam ſibi*, ut in æternum ſervaret, id eſt, ut *ſanctificaret* in hoc ſeculo, *glorioſam exhiberet* in futuro: Eſt denique cœleſtis illa *Radix* Eccleſiæ, in quo quotquot radicati ſunt, cœlum verſus creſcunt, & in cœlis perpetuò florebunt.

Eph.4.15, 16. Joh.3.29. Hoſ.2.20. Epheſ.5.26. Col.2.7.

Perſonalis hæc prærogativa adeò peculiaris eſt Chriſto Θεανθρώπῳ, ut nulli alii poſſit convenire: Non Angelis; quia deeſt illis ea naturæ conformitas, quæ intercedere debet inter Fundamentum & in eo Fundata, inter Caput & Membra illi conjuncta, inter Sponſum & Sponſam matrimonio juſto ſibi copulatam: Non ψιλῷ ἀνθρώπῳ, quia nemini mortalium propter naturæ humanæ imbecillitatem & corruptionem poſſibile eſt fungi officio Fundamenti, Capitis, Sponſi, in Eccleſia ſuſtentanda, vivificanda, ſervanda: Non Deo ipſi in tremenda ſolius Divinæ naturæ Majeſtate conſiderato. Nam quamvis Deum agnoſcamus Fundatorem Eccleſiæ, Fundamentum tamen deſideramus, ad quod appropinquare, propè accedere, nóſque

Heb.2.11.

Cap. 3.

nóſque adjungere & quaſi agglutinare haud vereamur. Dei autem Majeſtas in ſe conſiderata, non modò *lux inacceſſibilis* eſt, ſed *ignis conſumens. quis* autem mortalium *poteſt habitare cum igne devorante ?* Neque igitur ſub cœlo neque in cœlo aliud Perſonale Fundamentum habere poſſumus, quo mediante Deo ipſi reconciliemur & uniamur, præter Verbum *hominem factum, plenum gratiæ & veritatis.*

Heb.12.29 Iſai. 33.14 Joh. 1.14.

Sed quorſum hæc de re perſpicua & ab omnibus Evangelicis conceſsâ diſputatio ? Nempe ut hinc appareat, Eccleſiis particularibus quæ retinent cum hoc Fundamento ſalutiferam conjunctionem alias Eccleſias nec poſſe nec debere renunciare fraternam communionem. Non miramur Papiſtas, qui præter ipſum Chriſtum aliud Fundamentum Perſonale, aliud Caput, alium Sponſum dederunt Eccleſiæ, omnes Eccleſias abſcindere & abjicere, quantumvìs fideliter & firmiter Chriſto adhærentes, quæ Pontifici Romano tanquam Fundamento, Capiti, Sponſo ſuo nolunt adhæreſcere. Nec moramur ſtultos eorundem clamores, quibus putant ſe perterrefacere poſſe Eccleſias Chriſti ; *Si ſuper Petram Romanam fundati eſtis, lapides vivi eſtis & pretioſi ; ſin minùs, pumicoſi & excavati. Si Pontificem Romanum Caput veſtrarum Eccleſiarum agnoſcitis,*

1 Religionis error apud Papistas.

CAP. 3. *tis, viva & vera eſtis Sanctæ Catholicæ Eccleſiæ membra: ſin minùs, mortua eſtis & planè tabida Eccleſiarum cadavera. Denique, ſi Papam amplexemini Sponſum, eſtis caſtæ omnes & genuinæ Eccleſiæ: ſin minùs, adulterinæ & omnibus diris devovendæ.* Sic Romanenſes. Non iniquo animo toleramus haſce contumelias & injurias ab iſtis qui ſomniant Eccleſias noſtras à vero Fundamento disjunctas quia falſo conjungi recuſant. Verùm enimvero, ſiqua Eccleſia Evangelica alteram quam Chriſto inædificatam non audet negare, audet tamen tanquam membrum putridum abſcindere & à fraterna ſua communione abjicere, eſt hoc in ipſum Chriſtum contumelioſum, & in Fratres non modò noſtros ſed Chriſti injurioſum.

Ut itaque noſcamus cum quibus Eccleſiis fraternam communionem retinere æquum ſit, noſſe oportet quænam Eccleſiæ judicandæ ſunt habere & retinere veram & ſalutiferam cum hoc ſuo Fundamento unionem. Non imus inficias, inter Eccleſias quæ unico huic Fundamento inhærent, alias aliis arctiùs & firmiùs poſſe adhæreſcere; inter Eccleſias quæ ab hoc Capite & Radice vivificantur, alias aliis ſenſum & ſuccum copioſiorem poſſe haurire: ſed ob hanc ſcientiæ aut gratiæ diverſam menſuram non debemus nos à fraterna communione cum illis disjungere

gere quos ſperare poſſumus & debemus cum Fundamento ſuo ſalutifero adhuc manere conjunctos. Ad ſingulares perſonas quod attinet ; Solus Deus, qui corda inſpicit, noſſe poteſt quis habeat quis non habeat internam, ſpiritualem, ſalutarem conjunctionem cum hoc ſalutifero Fundamento. At quod ſpectat Eccleſias integras (quantum hominibus ſcire & judicare fas eſt) utrùm Fundamento ſuo ſalutariter maneant conjunctæ nécne, ex operationibus quæ ab eiſdem exerceri indies poſſunt & ſolent eſt ſtatuendum. In quibus enim Eccleſiis illi actus omnes exercentur per quos homines Chriſto uniri, in Chriſto manere, & per Chriſtum ad vitam æternam perduci poſſunt, eos ab hoc vnico ſalutis humanæ Fundamento alienatos & divulſos nemo aſſirmare aut cogitare poteſt.

Jam ut ab Infantibus ordiamur ; In omnibus Evangelicis Eccleſiis adminiſtratur Baptiſmus in nomine Sacroſanctæ Trinitatis, cujus beneficio tales in Chriſtum inſeruntur, & huic Fundamento ſuo ritè copulantur. Nam ad hoſce quod attinet, quia nullo ſuo actu poſſunt ſe applicare Fundamento, Spiritus Sanctus per lavacrum regenerationis dignatur Fundamentum illis accommodare & applicare. Ab iis autem qui rationis capaces ſunt & arbitrio propriæ voluntatis uti poſſunt, re-

CAP. 3. quiruntur ad debitam unionem cum Chriſto faciendam & conſervandam diverſi actus tam intellectûs quàm voluntatis: Inter quos hi quatuor præcipuum locum obtinent; ad quos cæteros omnes revocare non erit difficile.

Primò, ex parte Intellectûs requiritur actus Cognoſcendi de Deo & Chriſto ea omnia ſine quibus nec ſalutifera unio inter nos & Chriſtum poteſt conſtare, nec gratuita inter nos & Deum Patrem reconciliatio. Quò ſpectare videntur illa verba Joh. 17.3. Servatoris noſtri, *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te, ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Si qui cœtus hominum exſiſtant qui hanc ſalutiferæ cognitionis menſuram nondum ſunt adepti, Epheſ. 4. 18. et 2. 12, 13. eos fatemur eſſe *alienatos à vita Dei per ignorantiam quæ eſt in illis, & propter hanc ipſam cordis ipſorum cæcitatem,* uti ab Apoſtolo edocti ſumus. At nulla ex Evangelicis Eccleſiis tantâ ignorantiæ caligine obvoluta eſt, quin poſſint in illa Chriſtiani Deum & Chriſtum cognoſcere quantum ſufficeret ad vitam, ſi veritati in eadem prædicatæ aſſentiantur.

Secundò, præter hanc Scientiam ſive ſpeculativam Cognitionem de Deo & Chriſto, requiritur actus Credendi, id eſt, practicè cum fiducia recumbendi, in Chriſtum cognitum. Concedemus ergò illas Eccleſias, ſive cœtus hominum in unum

corpus

corpus congregatorum, apud quos Chri- Cap. 3.
ſtus non ità prædicatur & agnoſcitur ut
poſſint homines Fide vivâ & juſtificante
in illum recumbere, utcunque nomen
Chriſtianorum induant, cum Chriſto ſa-
lutis Fundamento nihil commercii habere.
Tales ſunt quæ ſolvunt illam hypoſtati-
cam duarum naturarum in Chriſto Me- 1. Joh. 4.
diatore unionem, ſine qua nec habere 23.
poſſumus nec ſperare ſalutiferam cum
Chriſto & Deo Patre conjunctionem. In
omnibus autem Evangelicorum Eccleſiis
ſic prædicatur Chriſtus Θεάνθρωπος
ut minimè dubitandum ſit innumeros
verâ, vivâ & juſtificante Fide illum am-
plecti: Sunt ergò & manent huic Funda-
mento conjunctæ ſub illa ipſa formali
ratione ſub qua Chriſtus humanæ ſalutis
Fundamentum poteſt hominibus conjun-
gi ad gratiam ac vitam illis imperti-
endam.

Tertiò, ex parte Voluntatis, ab omni-
bus qui nolunt ab hoc ſuo Fundamento
divelli requiritur aſſiduum veræ Pœnitentiæ
exercitium; abſque quo neceſſe eſt nos per Iſai. 59. 2.
aſſidua noſtra peccata à Deo & Chriſto Luc. 13. 3.
disjungi & diſterminari, ac in æternum
perire: E contrà, interveniente hoc per-
petuo Pœnitentiæ exercitio, manemus
fundati in Chriſto, reconciliati Deo, de-
ſtinati cœlo. In quacunque ergò Eccleſia
ità docetur Evangelium, ità ſtabilitur ſa-
lutis

CAP. 3. lutis humanæ Fundamentum, ut ſperandum ſit Chriſtianos ab eadem inſtitutos atque in eadem viventes credendo & pœnitendo obtinere remiſſionem peccatorum & vitam æternam, de illa Eccleſia pronunciandum atque ſentiendum eſt, quòd Chriſto Autori, Fonti ac Fundamento gratiæ & ſalutis verè conjuncta ſit & maneat firmiter copulata.

Quartò, præter Pœnitentiæ exercitium, ut conſtet hæc conjunctio noſtra cum Fundamento noſtro, requiritur ex Fide & Amore Chriſti dimanans ſincerum Obedientiæ ſive Novæ vitæ ſtudium. Si deſit actus Obediendi, deeſt Credendi, deeſt Diligendi, deeſt ſpes omnis tales cum Chriſto conjungendi. Nam quod Chriſtus

Joh. 14. 15 dixit, *Si diligitis me, mandata mea ſervate*, perinde dicere potuiſſet, Si conjuncti eſtis

Galat. 6. 15. mihi, ſervate mandata mea. quia *in Chriſto Jeſu neque circumciſio valet aliquid, neque præputium, ſed fides quæ per charitatem operatur.* Quæcunque ergò Evangelicorum Eccleſiæ ità comparatæ ſunt ut in illis illuſtrentur homines ad Cognoſcendum Deum & Chriſtum, permoveantur ad Credendum in eundem, avertantur à peccatis per actum Pœnitendi, & ſubjiciantur Deo ac mandatis Divinis per actum Diligendi & Obediendi, haſce Eccleſias manere ſalutifero ſuo Fundamento conjunctiſſimas, minimè dubitandum eſt. Ad voluntates

ergò

ergò omnium Eccleſiarum Evangelicarum inter ſe copulandas non mediocre vinculum afferre debet hæc omnium cum ipſo Chriſto ſalutifera atque indubitata conjunctio. Cap. 4.

Cap. IV.

De fundamentis quibuſdam quæ Miniſterialia fundamenta ſolent appellari, ac de officio & poteſtate eorundem.

QUamvìs Dominum & Servatorem noſtrum Jeſum Chriſtum unicum Eccleſiæ ſuæ Fundamentum Perſonale agnoſcimus, alio tamen ſenſu Fundamentorum nomen aliis tributum non negamus. Quibus quâ ratione hoc nomen tam auguſtum conveniat, quâ poteſtate utantur qui hoc nomine gaudent, deinceps inquirendum eſt.

Fundamenti ergò nomen quandoque ad alios transfertur, ſed cum termino diminuente Non enim aliâ ratione Fundamenta dicuntur, quàm quòd ipſorum miniſterio per prædicationem Evangelii Fundamentum illud Perſonale poſitum fuit, atque per continuationem Evangelicæ prædicationis perpetuò in Eccleſia conſervatum.

Inter hæc Miniſterialia fundamenta principem locum obtinent Prophetæ & Apoſtoli.

CAP. 4. Apoſtoli. unde murus ſupernæ Civitatis dicitur habere *fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina duodecim apoſtolorum Agni. Superædificati* etiam dicuntur Chriſtiani *ſuper fundamentum apoſtolorum & prophetarum.* Hoc ſenſu Petrus & Paulus, hoc omnes Apoſtoli fundamenta miniſterialia fuerunt, quia omnes tanquam peritiſſimi architecti in unico illo Fundamento jaciendo (de quo antè dictum eſt) egregiam operam poſuerunt. Quando igitur Prophetæ & Apoſtoli hoc honorificò titulo ornantur, id ad ſalutiferam potiùs eorundem de Chriſto doctrinam quàm ad ſingulares ipſorum perſonas eſt referendum. Horum longè major poteſtas fuit quàm ſuccedentium Miniſtrorum, quia ſic illuſtrati & gubernati fuerunt à Spiritu Sancto ut nullo modo, ſive prædicando ſive ſcribendo, errare potuerint. Sicuti ergò ipſius Dei & Chriſti, ità horum doctrinam certam, infallibilem, & planè Divinam cum Tertulliano agnoſcimus: *Nullus ſermo divinus, niſi Dei unius quo Prophetæ, quo Apoſtoli, quo Chriſtus intonuit.*

Revel. 21. 14.

Epheſ. 2. 20.

De Anima.

Sed hiſce Miniſterialibus Fundamentis Papiſtæ aliud adjungere conantur, quod Secundarium & ὑπουργικὸν vocant, ſed reipſa Primarium & planè Divinum faciunt. Hunc honorem Jeſuitæ ſoli Pontifici

Bellarm. De verbo Dei, lib. 3. c. 10.

fici Romano deferendum putant, quem ità Secundarium Catholicæ Eccleſiæ Fundamentum conſtituunt ut eundem unicum interim ſub Chriſto eſſe Eccleſiæ Fundamentum profiteantur. Sed non opus eſt de caduco hoc Fundamento & Capite tremulo multa dicere; quia unicum aliquod fundamentum Miniſteriale, quale à Papiſtis confingitur, Scripturæ non commemorant. Huc accedit, quòd omnes Eccleſiæ Evangelicæ, unà cum aliis idolis, fœdiſſimum hoc Secundarii Capitis ſive Fundamenti idolum ad talpas & veſpertiliones abjecerunt. Nullam itaque poteſtatem in hoc Secundario Papiſtarum Fundamento agnoſcimus ad fidem Chriſtianorum ſibi ſubjugandam: neque ab inſania eos longè abeſſe putamus, quando ſcribunt & contendunt, *Romani Pontificis Poteſtatem & Infallibilitatem eſſe rei Chriſtianæ ſummam, ejúſque ſententiam pro norma & regula fidei habendam.*

Cap. 4.

Bellarm. Præfat. in lib. De Rom. Pontif.

Sed à Pontifice Romano ad Eccleſiam Catholicam veniamus; quæ Fundamenti Miniſterialis nomen meliori jure poterit ſibi vendicare, quia ſingulorum fides videtur quodammodo in eam recumbere. Nam in hac ad finem uſque ſeculi conſervabitur & prædicabitur ea doctrina cui fidem adhibentes & obedientes Chriſtiani Fundamento ſuo rectè conjunguntur, & in illo vitam æternam conſequantur.

tur.

CAP. 4. tur. Huc adferri ſolet illud Pauli ad Timotheum, ubi Eccleſiam vocat *columnam & firmamentum veritatis*. Neque dubitare licet, in hac ſancta Catholica Eccleſia quam in Symbolo credimus, veritatem Evangelii quatenus ad ſalutem credentium ſufficit fuiſſe ſemper conſervatam, fore ſemper conſervandam. Noſſe itaque quid ubique ſemper ab omnibus Chriſtianis Eccleſiis traditum, receptum, promulgatum fuit, eſt noſſe ea omnia quæ valent ad ſalutem in Chriſto Fundamento ſalutis participandam. Hæc autem Catholica Eccleſia per terrarum orbem diffuſa, animo potiùs quàm ſenſibus externis objicitur. Quando igitur vocem Catholicæ Eccleſiæ audire cupimus, cogimur ad Eccleſiam quam vocant Repræſentativam, id eſt, ad Concilium generale, confugere. De hac itaque Repræſentativa Catholicæ Eccleſiæ imagine, déque ejuſdem poteſtate Miniſteriali breviter diſſeramus.

2.Tim.3. 15.

In Oecumenicis Synodis Eccleſiam hanc Repræſentativam optimè functam fuiſſe hoc Miniſterialis fundamenti officio, teſtantur illa quatuor Concilia, Nicenum, Conſtantinopolitanum Epheſinum, Chalcedonenſe; in quibus Chriſti Divinitas contra Arium, Spiritûs Sancti contra Macedonium, unio duarum naturarum in Chriſto contra Neſtorium, diſtinctio duarum naturarum contra Eutychetem, declarata

declarata, defenſa & ſtabilita fuit. In hiſce & conſimilibus Conciliis quæ in commune tractantur Chriſtianæ fidei dogmata, propter ipſam repræſentationem totius nominis Chriſtiani, magnâ veneratione ſunt ſuſcipienda. Nam ad hujus Repræſentativæ Eccleſiæ officium ac legitimam poteſtatem ſemper ſpectavit, neceſſaria & fundamentalia fidei Chriſtianæ dogmata à non-fundamentalibus diſtinguere & diſcriminare; ità tamen ut non transſiliat limites ab Apoſtolis & Primitiva Eccleſia poſitos, ſive multiplicando ſive minuendo *hæc* Fundamentalia. Credibile enim eſt (quod Aquinas annotavit) Apoſtolos, alióſque qui fuerunt propinquiores Chriſto, pleniùs myſteria fidei cognoviſſe quàm nos qui ſumus remotiores. quod Cajetanus ibidem agnoſcit eſſe veriſſimum. Utcunque enim Apoſtoli ac Primitivæ Eccleſiæ Patres non fuerunt valde addicti Controverſæ ac Quæſtionariæ Theologiæ, Salutiferæ tamen, Neceſſariæ ac Fundamentalis Theologiæ fuerunt omnium peritiſſimi.

CAP. 4.

2ª. 2ª. Qu. 1ª. art. 7. reſp. ad 4.

Porrò, poſtquam Eccleſia *hæc* Repræſentativa de Fundamentalibus & ad ſalutem Chriſtianorum ſimpliciter neceſſariis articulis ſuam ſententiam in verbo Dei fundatam propalaſſet, incumbebat eidem officium defendendi, muniendi, & quaſi circumvallandi eoſdem articulos contra omnes fraudes & inſultus hæreticorum.

Solitum

CAP. 4. Solitum etenim eſt hæreticis cuniculos agere in ipſa Chriſtianæ religionis fundamenta, dum verba articulorum retinent rem negant. Sic Ariani Chriſtum Deum verbo tenus agnoſcebant, at interim apud animos ſuos aliquid monſtri alebant, quando Patri Coeſſentialem agnoſcere noluerunt. Nam cui res nomini ſubjecta negatur, nomine illuditur. Licuit itaque repræſentativæ Eccleſiæ (id eſt, Concilio generali) ad ſanum articuli ſenſum declarandum adhibere novum (ſed aptum) vocabulum, atque adigere Chriſtianos ad Chriſti Divinitatem ſub hac verborum forma confitendam, *Chriſtus eſt Deo Patri* ὁμέσιΘ. nam *eſſe Deum* & *eſſe Dei Filium* ſi non ſono tamen ſenſu idem ſunt ac *eſſe Deo coeſſentialem.*

III. Poſtremò, non coarctamus poteſtatem Oecumenicæ Synodi, ſive Eccleſiæ repræſentativæ, ad declarationem ac defenſionem fundamentalium ſolummodo articulorum, ſine quorum explicata fide nemo ſervari poteſt; ſed fatemur extendi eam ad quævis dogmata vera atque ædificationi animarum utilia. Imò hanc Eccleſiæ ſententiam & definitionem Excommunicationis mucrone ità armatam eſſe ſentimus, ut poſſint ab externa Catholicæ Eccleſiæ communione ſeparari qui Eccleſiæ Catholicæ definitionibus audent privatas ſuas opiniones pertinaciter opponere. Si tamen

men illud in quo erratur non ſit ex fundamentalibus & abſolutè neceſſariis, non eſt deſperandum, poſſe aliquos qui juſtè arcentur ab externa communione Eccleſiæ (Deo miſerante & errores ex infirmitate intelligentiæ ortos condonante) internam & ſalutiferam communionem cum ſuo Fundamento Jeſu Chriſto retinere. Nam *excommunicatio externa non eſt efficax aut infallibile ſignum interioris excommunicationis*, ut verè Lutherus. CAP. 4. *Tom. 1. in Diſp. pag.* 374.

Quæ diximus de Concilii generalis poteſtate, ea omnia de legitimo & libero Concilio ritè Eccleſiam Catholicam repræſentante intelligi volumus; non de talibus Conciliis quæ mera mancipia ſunt Pontificis Romani, atque eodem modo repræſentant Catholicam Eccleſiam quo ſimia hominem.

Sed quia Catholicam Eccleſiam in Concilium totius Corporis repræſentativum convocare, per tyrannidem Papæ aliáſque remoras eſt planè impoſſibile, ad explicandam particularium Eccleſiarum hac in re poteſtatem veniamus.

Si ergò Miniſterialis Fundamenti nomen conveniat Eccleſiæ repræſentativæ ſive generali Concilio, propter poteſtatem miniſterialem quam habet in promulganda, explicanda, defendenda illa doctrina quæ Chriſtianos ſuo ſalutifero Fundamento conjungit, convenit etiam ſuo mo-

Cap. 4. do & gradu cuivis particulari Eccleſiæ, qualis ſunt Anglicana, Gallicana, Germanica, reliquæque quæ à diverſis regionibus nomen ſortiuntur. Nam quod Catholica Eccleſia in Concilio congregata poteſt & debet facere quoad omnes Chriſtianos in veritate ſalutiferi Evangelii fundandos, id particularis ſive provincialis quælibet Eccleſia poteſt & debet facere erga ſuos.

1. Tim. 3. 15. Ab hoc officio Epheſina Eccleſia, cui præſidebat Timotheus, vocatur *columna & firmamentum veritatis*; quia cujuſvis Eccleſiæ officium eſt tueri & ſuſtentare veritatem ab Apoſtolis mundo prædicatam, eandémque populo commendare, explicare, ac in hæreticos & falſarios cenſuras Eccleſiaſticas diſtringere.

Sed nè particularis quælibet Eccleſia autoritatem & poteſtatem ſuam Catholicæ in univerſali Concilio congregatæ æquandam opinetur, animadvertendum eſt, Primò, Particulares particularium Eccleſiarum Doctores in Synodo congregatos ſuas ſolummodo Eccleſias repræſentare, non externas; ac proinde nullam habere poteſtatem præſcribendi aliis quid credendum, quid rejiciendum ſit, multò minùs abſcindendi eos à fraterna communione quam retinent cum Catholica, qui illorum decretis per conſcientiam aut inſcitiam non poſſunt aſſentiri. Par ſiquidem in parem

parem non habet poteſtatem. Laudatur hac in re Cypriani æquitas, qui communicavit eis Eccleſiis quas in graviſſimo errore verſari putabat. Laudantur Eccleſiæ Africanæ, neminem judicantes, aut à jure communionis amoventes, ſed in unitate manentes cum aliis Eccleſiis quæ diverſa ſenſerunt & earum ſententiæ acquieſcere recuſarunt. Nunquam enim particularis aliqua Eccleſia ſuum honorem ità fovere debet ut unitati Eccleſiarum invideat, præjudicet, aut officiat. CAP. 4.

Apud Auguſt. De Bapt. contra Donat. lib.2.cap. ult. Idem, ſuper geſtis cum Emerit. Serm.

Secundò obſervandum eſt, Particulares Eccleſias (Saxonicas putà, aut Helveticas) poſſe ac debere ſuo miniſterio ſubjectis Sūmam doctrinæ Evangelicæ quam publicè profitentur cōmendare. quę doctrinæ Compendia in articulos digeſta ſolemus Eccleſiarum Confeſſiones, ſive Articulos religionis appellare. Sed in hiſce Articulis ſive Confeſſionibus formandis id præcipuè curandum eſt, nè in illas conjiciamus aliquid ſubtile, ſupervacaneum, aut litigioſum. Non eſt enim prudentium Doctorum, ea quæ ad pacem & animarum ædificationem promovendam ſpectare debent farcire talibus doctrinis quæ eruditos vexare, indoctos parùm aut nihil ad ſalutē juvare poſſunt. Quid enim hoc aliud eſſet quàm doctis pugnandi materiā præbere, indoctis ventū pro lacte, lapides pro pane obtrudere? 2.

Oportet etiam vicinarum Eccleſiarum

CAP. 4. rationem aliquam habere in hiſce Confeſ-
ſionibus noſtris quas in lucem edimus,
neque appetere ut in illis ea objiciantur
omnium oculis unde naſcatur rixandi oc-
caſio cum vicinis Evangelicis Eccleſiis,
ſuppeditetur gaudendi materia Papiſticis.
Hæc incommoda haud difficulter vitari
poſſent, ſi Theologi in animum induce-
rent, arduas & obſcuras controverſias ſe-
jungere à Confeſſionibus publicis Eccleſia-
rum, & relegare ad privata exercitia Scho-
Matt. 10. larum. Nam cùm in lumine, & quaſi ſu-
27. per tecta publicarum Confeſsionum, con-
troverſias noſtras collocamus & prædica-
mus, nuditatem Evangelicarum Eccleſia-
rum foràs nunciamus & hoſtibus deriden-
dam oſtendimus; quam ὀπισθοφανῶς ope-
ruiſſe multò ſatius fuiſſet.

3. Poſtremò, Confeſſionibus hunc in mo-
dum attemperatis, licitum & utile eſt cui-
libet particulari Eccleſiæ illam poteſtatem
in ſuos exercere quam in alios minimè
ſubditos nec debent nec poſſunt uſurpare.
Suos etenim, quando receptam Eccleſiæ
doctrinam & publico conſenſu firmatam
oppugnant, non modò propter ipſos erro-
res quos diſſeminant, ſed propter turba-
tam Eccleſiarum pacem, poſſunt ab exter-
na Eccleſiæ ſuæ communione tantiſper re-
movere dum ſuis erroribus alios inficere
& ipſas Eccleſias perturbare deſinant.
Quàm primùm autem eos erroris ſui pœ-
nituerit,

nituerit, in gremium Matris recipiendi ſunt. Hunc in modum cum ſuis agere licet: At quando inter Eccleſias ſibi invicem minimè ſubordinatas res agitur, poſſunt cum diverſa ſentientibus & docentibus divinam concordiam & Dominicam pacem tenere, ut videre licet apud Cyprianum.

Cap. 4.

Epiſt. 72. ad Steph. & 73. ad Jubianum

Haud abs re erit, poſt hanc de particularibus Eccleſiis diſſertationem, de Doctoribus quibuſdam qui in iiſdem celebres præ aliis fuerunt aliquid adjungere. Miniſterialia etenim Fundamenta ſuo loco reputanda ſunt etiam privati Doctores, qui in Evangelica veritate propugnanda, explicanda, tuenda, ſive prædicando ſive ſcribendo, laudabilem operam poſuerunt. Atque hìc inter præcipuos Reformatarum Eccleſiarum Doctores Heroas illos, Lutherum & Philippum, numeramus: neq; veremur hiſce adjungere Bucerum, Calvinum, Martyrem, alióſque quos nominare non eſt neceſſe. De hiſce tamen omnibus, noſtræque ætatis Theologis quantumvìs excellentibus ità cogitare debemus, ut eos Eccleſiarum lumina non numina agnoſcamus; eóſque non ſuſpiciamus tanquam Prophetas & Apoſtolos θεοπνεύστους, ſed æſtimemus viros bonos, egregiè doctos, & in commune bonum Eccleſiæ à Deo excitatos; ſed Miniſtros interim ordinarios fuiſſe fateamur, atque erroribus obnoxios.

CAP. 4.

Porrò cavendum eſt, nè ab illuſtribus viris patiamur ipſis Eccleſiis ἐπίθετα ὀνόματα imponi. *Chriſti enim nomine omiſſo, humana & externa vocabula induere*, à Chriſtianis alienum eſt, & perpetui plerunque ſchiſmatis fomentum. Perplacere ergò debet prudentibus & piis Chriſtianis illud Nazianzeni, *Petrum veneror; non tamen Petrianus vocari volo: Paulum honoro; neque tamen Paulianus vocari volo.* Si privati Chriſtiani æquo animo hoc ferre non poſſunt, quantò minùs decet integras Eccleſias ab uno aliquo homine nomen ſortiri?

Lact. Inſtit. lib. 4. cap. 30.

Orat. 30.

Denique, de privatis Doctoribus hoc unum addam; Iniquiſſimum eſſe, ob cujuſcunque Doctoris errores totam Eccleſiam in qua ille functus eſt aut fungitur miniſterio eorundem ream peragere, niſi conſtiterit ipſam Eccleſiam ejuſdem Doctoris errores publico aſſenſu comprobaſſe. At quotuſquiſque eſt è plebe Chriſtiana qui Doctorum libros ità ſcrutatur ut ſingularibus eorundem opinionibus ſuffragetur? quotuſquiſque ex ipſis Doctoribus qui non toto animo averſatur illos errores qui ab antagoniſtis ſibi impinguntur? quotuſquiſque denique è doctis in ulla Eccleſia reperietur qui ità juravit in verba aut Lutheri aut Calvini aut cujuſlibet ſcriptoris ut non putet ſibi licere ab illorum placitis diſcedere quando illi à veritate diſcedunt?

dunt? Cùm hæc omnia ita ſe habere manifeſtum ſit, ſi hæc Miniſterialia quæ vocamus Fundamenta in aliquibus quandoque vacillaverint, non oportet eam ob cauſam ſingularum perſonarum errores toti Eccleſiæ affigere. Nam *Eccleſia propriè dicta non probat quicquid probant mali Doctores admixti Eccleſiæ*, ut rectè Melanchthon: nos addimus, nec quicquid boni Doctores haud bene docuerunt. Cap. 5. *Apud Luth. Tom. 1. Diſp. De autor Eccl. pag.* 439. B.

Cap. V.

De Doctrinalibus fidei Chriſtianæ fundamentis generatim; & quatenus fides ſit illis adhibenda ſub neceſſitate ſalutis.

DOctrina ſacræ Scripturæ, Prophetarum, Evangeliſtarum, Apoſtolorum libris comprehenſa, eſt illud fundamentum cui ſoli Chriſtianorum fides tutò innititur, propter certiſſimam Dei revelantis autoritatem. Nec audiendi ſunt Papiſtæ, quando objiciunt, *Unde ſcitis illos libros unius veraciſſimi Dei Spiritu eſſe humano generi miniſtratos? Si hoc mihi nondum perſuaſit Deus, nondum perſuaſit ut ſim Chriſtianus: nam Dei voluntas ſcripturas nobis commendavit, fundamentum & columnam fidei noſtræ futuram.* Si Auguſtino & Irenæo credere nolunt Romanenſes, Petro tamen indubiam fidem adhibere oportet; qui vocem Scripturarum 1. *Aug. Confeſſ. lib. 6. cap. 5. Irenaus, l. 3. cap. 1.*

CAP. 5. *voce cœlitus delapſâ firmiorem*, & *non humanâ voluntate hominibus allatam, ſed à Spiritu Sancto hominibus ſanctis inſpiratam* affirmavit. Sancta itaque Scriptura ſic fidei noſtræ fundamenta proponit, & doctrinæ noſtræ regulam figit, ut fides Christianorum iis ſolùm revelationibus nitatur quæ in Canonicis libris continentur. Contra chimæricum illud Doctrinale fundamentum quod Papiſtæ in verbo quodam non-ſcripto ac in ſcrinio pectoris Papæ latitante ſitum nugantur, nihil dicam; quia tam craſſum & profanum in re tanti momenti errorem apud bene inſtitutos Chriſtianos vel ipſâ refutatione indignum judico. Qui extra Scripturas quærit doctrinam ſalutis & vitæ æternæ, haud citiùs inveniet quàm ſi extra paradiſum quæreret arborem Scientiæ aut Vitæ.

2. Pet. 1. 19, 20, 21.

Mirandula, De fide & ord. cred. Theor. 14.

Sed quamvìs arctè tenemus, fundamentalia ſalutiferæ fidei dogmata non eſſe quærenda extra libros veteris & novi Teſtamenti, non tamen defendimus omnia quæ in hiſce libris aſſeruntur eſſe dogmata fundamentalia adeóque cognitu & creditu neceſſaria ut ſi aliquid horum ab aliquo ignoretur aut negetur, à Fundamento ſalutis illum excidiſſe judicemus. Multa ſunt hiſtorica in libris utriuſque Teſtamenti, nonnulla dogmatica quæ veriſſimè aſſeruntur & utiliſſimè ibi collocantur; neque tamen in numerum fundamentalium dogmatum

matum venire cenſentur. Innumera ſunt quæ ex Scripturis deduci poſſunt per veras & firmas conſequentias, neque tamen in hoc honoris faſtigium attolluntur. Pro Fundamentalibus ergò ea ſolummodo ſeligenda ſunt & agnoſcenda, ſine quorum expreſſa & explicata cognitione nemo ſervari poteſt, & in quibus tam negativa quàm poſitiva infidelitas damnare poteſt. Hujuſmodi autem ſunt illa omnia ſine quibus nec in Chriſtum ſalutariter credere, nec Deum in Chriſto rectè invocare ac ad vitam æternam obtinendam colere poſſumus; uno verbo, abſque quibus Chriſtiani non poſſunt habere erga Deum pios affectus, aut exercere religioſos actus fidei, ſpei, ac charitatis ad ſalutem conſequendam ſimpliciter neceſſarios. CAP. 5.

Hiſce duobus datis & conceſſis, Quòd fides noſtra ſolis Scripturis innitatur, Quòd inter fundamentalia non reponi debent ea omnia & ſingula quæ in latiſſimo Scripturarum campo conſpici poſſunt; tertio in loco illud adjungendum eſt, Fidem noſtram toti verbo Divino ità ſubjectam eſſe & obligatam, ut unusquiſque teneatur quamlibet veritatem amplecti quam in Scripturis ſacris revelatam aut ex eiſdem ritè deductam videt. Nam quamvìs ex natura ſeu materia propoſitionis non obligamur ad eam credendam vel cognoſcendam ſub periculo ſalutis amittendæ, tamen

Cap. 5. men ex autoritate revelantis, quoties nobis conſtat talem propoſitionem in Scripturis eſſe revelatam, tenemur eam non rejicere. Quicquid enim obtenderet in contrarium, qui quamlibet propoſitionem quam in Scripturis fundatam intelligit pro ſuo arbitrio conculcaret, is nulli fidem adhibere qualem oportet judicandus eſt. Exempli causâ; Chriſtum eſſe Deum & hominem, articulus eſt planè fundamentalis; quo minimè credito, nec in ipſum Chriſtum credere, nec Deum ità colere poſſumus ut in gratiam ejus reſtituamur aut in regnum ejus introducamur: At de hoc ipſo Chriſto incarnato multa expreſſè commemorantur in Scripturis quæ non ſunt fundamentalia, multa etiam rectè deduci poſſunt ex illo fundamentali articulo, *Chriſtus eſt Deus & homo*, quæ non ſunt fundamentalibus adnumeranda: Si tamen perſpiciantur & intelligantur poſita in Scripturis, aut bene deducta ex Scripturis, Deum in Scripturis loquentem contemnit qui talibus fidem non adhibet. At quoties non animi pravitate ſed intelligentiæ infirmitate aliquid affirmatur aut negatur Scripturis repugnans ab eis qui imaginatione veritatis & pietatis decipiuntur, animus in dictis per ignorantiam non Catholicis, ipſâ eſt correctionis præparatione Catholicus. De talibus ergò rectè dicere poſſumus, Quòd ſenſus parùm exercitatos

Aug. lib. 4. ad Vinc. Vict. cap. ult.

Heb. 5.14.

ercitatos habent in rebus divinis; Quòd infirmi aut parvuli ſunt in fide; Quòd ad certamina diſputationum non ſunt aſſumendi: at verè dicere non poſſumus, Eſſe abalienatos à Chriſto, apoſtatas à fide, à fraterna cum omnibus piis communione ſeparandos. Cap. 5. Rom. 14. 1.

Utcunque igitur ſumatur nobis, Prælatos Romanenſes nullum verè & propriè dictum fundamentale abnegare; hinc tamen conſtat eos tam lædere Catholicæ fidei unitatem quàm impedire Catholicæ Eccleſiæ unionem. Quæcunque etenim Eccleſia ſuas incertas opiniones fundamentalibus Chriſtianæ fidei articulis aſſuit, tot inutilium & monſtroſarum partium adjectione Catholicæ fidei corpus deformet eſt neceſſe. Qui autem eaſdem urgent, & ſub neceſſitate ſalutis aliis Eccleſiis credendas obtrudunt, eos ſolos in cauſa eſſe dilaceratæ Catholicæ Eccleſiæ manifeſtè apparet. Romanæ Eccleſiæ ſuperbia non patitur eam hac in re cedere veritati: Spero tamen Proteſtantium Eccleſias univerſas in id tandem conſenſuras, ut fraternam communionem inter ſe redintegrare velint, & privata ſua dogmata aliis obtrudere deſinant. Tam audax & piaculare mihi ſemper viſum eſt hoc facinus Papiſtarum, ab Eccleſia Catholica & æterna ſalute omnes excludentium qui Tridentino Symbolo per omnia non

ſuffragantur,

CAP. 5. ſuffragantur, ut illud nè totus quidem Oceanus Romæ ſuperinfuſus poſſit abluere.

Hæc quæ diximus omnia de illis à fraterna communione abjiciendis intelligi volumus, qui ſive ex pertinacia ſive ex inſcitia contradicunt Scripturis in ullo fidei Catholicæ principio, quo minimè cognito, nec cum Chriſto poſſumus habere unionem, nec per Chriſtum in filios Dei adoptionem; quo minimè credito, nec Dei cultum ritè exercere, nec à Deo æternam ſalutem obtinere poſſumus. Talia neque negantur neque ignorantur ab ullis Chriſtianorum nomen ſibi vendicantibus, præterquam ab eis *in quibus Deus hujus ſeculi mentes excæcavit, ut non fulgeat eis illuminatio Evangelii gloriæ Chriſti.* (2. Cor. 4. 3, 4.)

Porrò, neque hæc quæ diximus ità accipienda ſunt, quaſi vulgo Chriſtianorum liceret in fundamentalibus acquieſcere, neque in ſcrutandis Scripturis ultrà progredi; quaſi flocci facere liceret quamlibet doctrinam quam concedimus non eſſe fundamentalem. Imò, *tota Scriptura à Deo inſpirata utilis eſt ad docendum, arguendum, corrigendum, erudiendum in juſtitia.* (2. Tim. 3. 16.) Studendum igitur, ut *verbum Chriſti habitet in nobis abundanter in omni ſapientia,* (Col. 3. 16.) ut *ad perfectionem feramur,* (Heb. 6.) non in fundamentis perpetuò ſubſiſtamus. Cum Auguſtino, omnes Chriſtianos hunc in modū alloquimur, *Sumat unusquiſq; veſtrûm fidei* (Epiſt. 222.)

fidei ſuæ quantam poteſt intelligentiam; *majorem, ſi plus cupit*; *minorem, ſi minus: ità tamen ut quouſque ad perfectionem perveniat ab itinere non recedat.* CAP. 5.

Denique, nolo hæc quæ generatim dicta ſunt de Doctrinalibus fidei Chriſtianæ fundamentis ità intelligi, quaſi Doctoribus & Paſtoribus non incumberet officium inſtituendi ſuos in quavis doctrina Scripturarum quâ promoveri poſſunt & ædificari in fide ac pietate; ſed ut hæc fundamentalia præcipuè urgeant & inculcent, tanquam præcipui momenti ad ſalutem. Sic ſenſit Lutherus in Præfatione ad Catechiſmum majorem; ubi ſeipſum *diſcipulum Catechiſmi* libentur profitetur. Magna certè eſt populi Chriſtiani infelicitas, ubi præ ſtrepitu & nimio æſtu controverſiarum vix conceditur illis audire & cogitare fundamentalem & ſalutiferam doctrinam Scripturarum, & nè vix quidem facere opera maximè neceſſaria mandatorum Divinorum. *Tom. 5. pag. 645.*

Jam quod ſpectat ad externas Eccleſias, non inficias eo illorum errores poſſe & debere refutari ab aliis, etiamſi non contradicant ipſis fidei Catholicæ fundamentis. Sed *refutentur errores, non traducantur errantes*; *argumentis agatur, non clamoribus aut convitiis*; *de verbis non pugnetur, quando diverſus ſyllabarum ſonus ad unum & eundem ſenſum perduci poteſt.* Ut verbo ab- *Naz. Orat. in Sanct. Epiph.*

Cap. 6. abſolvam, de Non-fundamentalibus quibuſcunque ità cum Eccleſiarum externarum Doctoribus eſt diſputandum, ut noſtros ab illorum erroribus tutos & immunes ſervemus, non ut illos in odium tanquam Hæreticos obſtinatos adducamus. Facile ſiquidem eſt quemvis hæreticum vocare; ſed quid faciat Hæreticum regulari quâdam definitione comprehendere, haud ità facile, imò (ſi Auguſtino credimus) eſt longè difficillimum.

Cap. VI.

De notis ſive indiciis ex quibus cognoſci poteſt de dogmate aliquo quòd non ſit fundamentale.

OStenſum eſt, dogmata Fundamentalia hanc habere notam maximè expreſſam, Quòd abſque illorum cognitione neque ſalus Chriſtiani neque cultus Dei poteſt conſiſtere. Jam apponemus alia quædam ſigna ſive indicia, ex quibus tutò ſtatuere poſſumus dogma aliquod non eſſe fundamentale, utcunq; urgeatur & obtrudatur à nonnullis pro fundamentali; præſertim ab illis qui in eo propugnando diu laborarunt multúmq; ſudarunt.

Primò igitur, Non eſt fundamentale quod à Divinitus inſpiratis Prophetis & Apoſtolis non fuit clarè ab initio revelatum populo Chriſtiano & Chriſtianis Eccleſiis per totum terrarum orbem ab eiſdem

dem fundatis. Non enim *mundi* fuiſſent *ab omnium ſanguine*, ſi *ſubterfugiſſent annunciare omne conſilium Dei* omnibus, quatenus neceſſarium fuit ad omnium ſalutem per fidem in Chriſtum Jeſum procurandam. Atque in hujuſmodi neceſſariis & fundamentalibus ità ſalutifera veritas revelata fuit ab Apoſtolis ut conſpici poſſit ab omnibus. *Ite, prædicate Evangelium omni creaturæ. Virtus* eſt *Dei in ſalutem omni credenti. Chriſtum annunciamus, docentes omnem hominem in omni ſapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto Jeſu.* Quod itaque non fuit omnibus ità annunciatum Apoſtolorum ſeculo, non poteſt noſtro hoc ſeculo incipere eſſe fundamentale. Nè Papiſtæ quidem hoc auſint negare, quamvìs Romano Pontifici & Romanæ Eccleſiæ majorem quàm par eſt arrogent poteſtatem etiam in articulos fidei Chriſtianæ. Nam Canus ſeponit à dogmatibus Catholicæ fidei ea omnia quæ univerſaliter non fuere ab Apoſtolis prædicata. quantò magìs à fundamentalibus? Permittit enim idem Autor propoſitiones quaſdam appellari *Doctrinæ Chriſtianæ veritates*, quas *Catholicæ fidei veritates* non cenſet appellandas. hoc enim nomen illorum dogmatum peculiare eſſe putat quæ ità ad fidem pertinent ut his ſublatis fides tollatur. In eundem ſenſum Corduba; *Non eſt veritas Catholica, neque*

Cap. 6. Act. 20. 26.

Marc. 16. 15. Rom. 1. 16. Col. 2. 28.

Lib. 4. *cap. ult. pag.* 145, 146.

Lib. 12. *cap.* 10. *pag.* 391.

Lib. 1. *q.* 17. *pag.* 148.

CAP. 6. *neque ejus oppoſita eſt hæreſis, niſi talis veritas revelata, & ut generaliter omnibus neceſſariò credenda poſita fuerit.* Poſtremò, concedit nobis Bellarminus, *Ea quæ ſunt ſimpliciter omnibus neceſſaria ad ſalutem, ab ipſis Apoſtolis fuiſſe omnibus prædicata.* Sit itaque hoc primum ſignum dogmatis non-fundamentalis, Quòd non fuerit omnibus palàm, paſſim, & perſpicuè traditum ab Apoſtolis.

De verbo Dei, lib. 4. cap. 11.

2. Secundò, Non eſt dogma Fundamentale quod non fuit in Primitiva Eccleſia Apoſtolis ſuccedente pro tali admiſſum, retentum, & Catholicæ Eccleſiæ conſenſu omnibus commendatum. Nam ſi quis tueri velit dogma aliquod fundamentale ab Eccleſia Catholica fuiſſe aut abjectum aut ignoratum, is totam Eccleſiam à ſuo Fundamento fuiſſe divulſam tueatur oportet. quod nemo ſanus vel in cogitationem ſuam venire patietur. Rectè obſervavit reverendiſſimus Archiepiſcopus Armachanus, vir ſingularis pietatis, & omnigenæ eruditionis laude cumulatus, Quòd *ſi quis ſeponeret totam quæ hoc ſeculo noſtro viget controverſam Theologiam, atque in unum corpus colligeret illos Chriſtianæ doctrinæ articulos de quibus bene convenit inter univerſas Eccleſias quæ Chriſtum Θεάνθρωπον colunt & pro Servatore ſuo agnoſcunt, poſſe Chriſtianos in illis tantum ſalutiferæ veritatis & ſcientiæ invenire quantum credentibus*

Uſſerius, in Conc. coram Rege, pag. 28.

tibus ſufficere poſſet ad conſecutionem vitæ æternæ, ſi ad cognitionem acceſſerit obedientia & ſtudium ſanctitatis. Quod evincit, hæc κοινόπιστα ſola eſſe ea quæ Fundamentalia rectè appellentur: quæ autem nos in deliciis habemus, & propter quorum amorem collidimus inter ſe Eccleſias Reformatas, ex jure propinquitatis quod habent cum fundamentalibus, poſſe aliquando numerari inter doctrinas veras & utiles, inter abſolutè neceſſarias aut fundamentales non poſſe. CAP. 6.

Tertiò, Non eſt axioma Fundamentale Chriſtianæ religionis quod ità tractatur aut enunciatur ut ad ejus veritatem mente concipiendam fidéque apprehendendam opus ſit acumine & ſubtilitate Dialecticorum, aut abſtractionibus & abſtruſis ſpeculationibus Metaphyſicorum. *Nihil enim fide Chriſtianâ iniquius eſſet, ſi in doctos ſolùm & artibus hiſce excultos competeret.* Nihil uſitatius inter doctos quàm modos rerum mente ac cogitatione à rebus abſtrahere, quàm eandem numero rem ſingularem ſub formalibus quibuſdam differentiis conſideratam proponere, quàm hiſce ſpeculationibus fidei Chriſtianæ doctrinas ſuperſtruere. Si quid hujuſmodi eſſet fundamentale aut cognitu ad ſalutem neceſſarium, actum eſſet de ſalute omnium indoctorum. Sed nos cum Auguſtino defendimus, *Fidem ſanctæ Eccleſiæ*

Nazianz. Orat. 21.

Epiſt. 222.

CAP. 6. *ſiæ non ex diſputationum ratione, ſed ex credulitatis pietate apprehendi; ſecùs, nemo præter Philoſophos beatitudinem poſſideret.*

1. Cor. 1. 20,27,28. Imò cum Apoſtolo dicimus, *Ubi ſapiens? ubi ſcriba? ubi conquiſitor ſeculi hujus?* &c. *Quæ ſtulta ſunt elegit Deus, ut confundat ſapientes.* Quaſi dixiſſet, Ubi es, ô literate, & altis ſpeculationibus exercitate? Túne ſolus ſalutiferæ doctrinæ capiendæ idoneus? Imò quivis è rudi plebe aptus magís: tu prorſus ineptus, ſi hiſce in rebus arte & acumine tuo nitendum putas.

Iſai. 35. Via ſalutis non modò via *Sancta* eſt, ſed ità *Plana* & *Directa ut ſtulti non errent per eam modò ſimplici corde verbo adhæreant*, ut

In locum. bene Lutherus. Salutifera ergò & fundamentalia dogmata nunquam quærenda ſunt in obſcurarum ſpeculationum nubeculis, ſed in perſpicuis ſanctarum Scripturarum propoſitionibus, ad quas capiendas fide non arte, cordis obſequio non ingenii acumine opus eſt.

4. Quartò, Sicut nuda & plana ſunt quoad modum exprimendi quæcunque Fundamentalium nomen ritè ſibi vendicare poſſunt, ſic pauca eſſe debent, atque ità conſtituta ut in numerum infinitum, imò nè in magnum quidem & parvulorum memoriæ oneroſum, poſſint excreſcere. Unde vocantur ab Aquinate *Prima credibilia, ſpeciales fidei articuli*; à Guilielmo

Aquin. 2. 2. q. 2. De Fide, c. 2. Pariſienſi, *Fundatoria religionis*; ab aliis,

Radicales

Radicales veritates. Quamvìs autem hæc Prima, Fundatoria, ſive Radicalia religionis Chriſtianæ dogmata poſſunt parere Conſectariorum numerum magnum & incertum, tamen à ratione alienum eſt, eſſe in ſe aut multa aut incerta. Quando igitur videmus Primis credibilibus de Divina eſſentia & attributis, de incomprehenſibili Trinitate, de hypoſtatica duarum naturarum in Chriſto unione, de idiomatum communicatione, déque omni penè Theologicæ ſcientiæ objecto, adjungi tantum numerum dogmatum quantum capere vix poſſunt craſſa volumina, certo certius eſt maximam illorum partem non eſſe fundamentalia. Doctiſſimi Nazianzeni conſilium ab omnibus Chriſtianis audiendum: *Divina*, inquit ille, *contemplare; verùm in terminis maneto. Loquere quæ ſunt Spiritûs, &, ſi poſſibile eſt, nihil aliud. Nè Patris naturam nimis curiosè rimator, Unigeniti eſſentiam, Spiritûs gloriam, unam in tribus Deitatem. Utere verbis conſuetis; ratio pertineat ad ſapientiores. Sufficiat tibi ut habeas fundamentum; ſuperædificent artifices.* Utinam ſoli Artifices ſuperædificarent: utinam ſuperſtructiones ſuas multas & penè infinitas cum paucis & planis Fundamentalibus pari affectu & honore ſuſcipiendas non commiſcerent. Si hoc conentur, decet tamen pios & prudentes Chriſtianos diſcernere inter prima

Cap. 6.

Orat. 2. De modeſt. obſerv. in diſp.

CAP. 6. prima illa & pauca credibilia à Chriſto & Apoſtolis immediatè revelata, & innumeras illas deductiones Theologorum, pro cujuſque ingenio & opinione, cum fundamentalibus in eundem locum contruſas.

5. Quintò, Nullum dogma Fundamentale eſt, quod novis terminis veſtitum non æquipollet eidem dogmati utì exprimitur verbis in ſacra Scriptura poſitis. Si enim verba noſtra adjectitia & novitia aliquid important ampliùs, id quod ſuperadditur poteſt eſſe conſectarium fundamentalis dogmatis, at non poteſt cum tali additamento urgeri pro dogmate puro puto fundamentali: Quòd ſi verbum novum aut ſuperadditum nihil novi affert quoad ſenſum propoſitionis quod deductione indigeat, ſed intellectis terminis ambarum intelligatur & æquipollentia, ambas fatendum eſt eſſe fundamentales. Verborum etenim diverſitas non mutat naturam dogmatis fundamentalis, ubi ſententia & eſſentia propoſitionis non variatur. Quod paulò obſcuriùs dictum eſt, exempli appoſitione illuſtrabo: *Chriſtus eſt Deus & Dei Filius*, eſt dogma fundamentale. ſic etiam & hoc, *Chriſtus eſt Deo æterno ſuo Patri* ὁμόουσιος. quamvìs enim in poſteriore ſit vocabulum novum, nihil tamen novi addit, nihil aſſerit quod laborioſâ deductione ex priore eliciatur; ſed quiſquis termi-

nos

nos amborum intelligit, ſtatim intelligit ità conſonare ut quoad ſenſum ſint planè eadem. non cadit enim in mentem ſanam conceptus Deorum eſſentiâ ſive ſubſtantiâ diverſorum. Quòd ſi dogma illud extraneis terminis ſive novis vocabulis auctum, abſque operoſa & artificioſa deductione non poteſt connecti plano & perſpicuo fundamentali articulo, non oportet illud ingerere in catalogum Fundamentalium. Qui vim conſequentiæ ſive deductionis perſpiciunt, tenentur etiam hujuſmodi Conſectariis fidem adhibere: Sed quibus non ſufficienter conſtat quòd talis propoſitio bene ſequatur ex articulo aliquo fundamentali, non tenentur illud pro explorata veritate amplecti, multò minùs pro dogmate abſque quo ſalutis obtinendæ ſpes nulla relinquitur. Ut verbo abſolvam; Quoties quæritur utrùm aliquod dogma fundamentale ſit nécne, non eſt attendendum ad clamores diſputantium, ſed recurrendum ad illas notas quas modò commemoravimus. Si dogmata quæ urgentur non ſunt in prima prædicatione Evangelii per ipſos Apoſtolos Catholicæ Eccleſiæ clarè commendata, ſi ſeculis ſuccedentibus non ſunt univerſaliter recepta, ſi non ſint captui ſimplicium Chriſtianorum, ſed Philoſophorum aut Dialecticorum ſolummodo, attemperata, ſi nimis numeroſa, nulliſque certis terminis concluſa,

Cap. 6.

CAP. 7. concluſa, ſi denique talibus loquendi formulis expreſſa ut non poſſint reduci ad æquipollentiam cum claro & confeſſo aliquo fundamentali articulo, vera aliquando eſſe poſſunt, fundamentalia haberi nunquam poſſunt.

CAP. VII.

De Summa Fundamentalium dogmatum, Symbolo & Decalogo comprehenſa, quoad Credenda & Agenda.

MUlti ex Pontificiis, nonnulli è noſtris, quando tuemur inter Evangelicos non eſſe pugnam de Fundamentalibus, ſtatim à nobis flagitant ut edamus in lucem accuratum horum Fundamentalium catalogum, ut dicamus, Tot ſunt Chriſtianæ religionis Fundamentalia dogmata, non plura numero, non pauciora. Papiſtis facilè reſpondemus, Non convenire Proteſtantibus, qui fatentur ſe errori obnoxios, ut opus hoc arduum ſuſcipiant; Pontificem Romanum potiùs ab illis adeundum, qui ſolus novit fundere oracula, qui omnia jura humana & Divina in ſcrinio pectoris ſui geſtare perhibetur. Si quis autem è noſtris contendat, non poſſe niſi hoc fiat fraternam inter Eccleſias Evangelicas redintegrari communionem, experiatur ille (quod aliquantò facilius eſt) an poſſit ad certum & definitum numerum

merum

merum redigere controverſas ſolummodo propoſitiones quas cupit haberi fundamentales. Si hoc facere detrectaverit, nè aliis vitio vertat ſuam in eadem re cunctationem. Quanquam haud difficile eſt cauſas oſtendere cur dogmata fundamentalia ad præſcriptum numerum vix aut nè vix quidem reduci poſſunt. Obſtat imprimis, quòd pro diverſo diverſorum conceptu variantur formæ propoſitionum; atque in duas ſæpenumero frangitur ab uno Theologo quod in unam propoſitionem contrahitur ab alio. Hinc numeri incertitudo oriatur eſt neceſſe: Quod in ipſis Symboli articulis eveniſſe videmus, quos ad numerum duodenarium communiter revocant Theologi; quatuordecim tamen ab aliquibus numerantur. Quid quòd de ipſa definitione dogmatis Fundamentalis nondum bene conſtat inter Theologos? Aliqui hoc nomen ad illa ſola dogmata reſtringunt quæ ab omnibus Chriſtianis expreſsâ fide credenda ſunt, ut ſalutem ac vitam æternam per Chriſtum obtineant. quam eſſe meam ſententiam profiteor. Sunt tamen doctiſſimi ac clariſſimi Theologi qui vocant dogmata Fundamentalia quaſvis propoſitiones quas ex prioribus fundamentalibus ipſi per bonas & firmas conſequentias intulerunt, quamvìs apud Eccleſias vicinas pauci aut nulli inveniantur qui harum conſequentiarum veritatem

CAP. 7.

Aquin. 2. 2. quæſt. 1. art. 8. in corp.

veritatem perſpiciant. Nè in hanc ſententiam eam, multa me deterrent, ſed illud præcipuè, quòd ſit minimè neceſſarii & perpetui ſchiſmatis inter Eccleſias Chriſti cauſa perpetua & neceſſaria. Poſtremò, non defuerunt nec deerunt unquam qui in Fundamentalibus numerari expoſcunt quicquid ipſi indoctè & per errorem ex verbo Dei ſe exſculpſiſſe ſomniant. Atque hi plerunque ſunt clamatores illi odioſi ac moleſti, qui religionis fundamenta ab imis radicibus convelli vociferantur, ſi quis imaginaria illorum Fundamentalia audeat concutere. Dum hunc in modum fluctuat ipſa ratio & definitio dogmatis Fundamentalis, marinos fluctus dinumerare non magìs impoſſibile quàm certum numerum fluctuantium Fundamentalium definitè ſtatuere.

Sed nè omnem Fundamentalium deſignationem videar declinaſſe, quæ fuerit veterum, quæ modernorum Theologorum hac de re communis ſententia, teſtimoniis eorundem in medium prolatis, faciam manifeſtum.

Quod ad Credenda attinet; Symbolo Apoſtolico comprehenduntur omnia fidei Chriſtianæ fundamenta: nec quicquam deeſt illi ex parte credendorum, ad ſalutem in Chriſto participandam, atque communionem cum omnibus Chriſti fratribus retinendam, qui ſingulis in eo contentis ſe

fidem

fidem adhibere ex animo profitetur. Quàm honorificè de hoc Symbolo ſenſerunt & locuti ſunt Patres jam videamus. Cap. 7.

Irenæus dicit, *Eccleſiam per univerſum orbem diſſeminatam hanc fidem ab Apoſtolis accepiſſe, atque diligenter cuſtodiſſe: per conſenſum in hac fide quaſi unam domum inhabitare, & unam animam habere.* Atq; hanc fidem *ſufficere* oſtendit *ad uniendas inter ſe Eccleſias Germanicas, Hiſpanicas, Gallicas, Orientales, Ægyptiacas, Libycas; uno verbo, Chriſtianas univerſas.* Tertullianus vocat hoc Symbolum, *Regulam fidei unam, ſolam, immobilem, & irreformabilem.* Hilarius Arianorum contentionibus fatigatus, *Tutiſſimum eſſe nobis,* ait, *primam & ſolam Evangelicam fidem confeſſam in baptiſmate intellectámque retinere.*

Lib. 1. cap. 2, 3.

De Virg. veland.

Ad Conſtant. Aug.

Auguſtinus hoc Symbolum *comprehenſionem fidei noſtræ & perfectionem* appellat: additque eſſe *ſimplex, breve, plenum; ut ſimplicitas conſulat audientium ruſticitati, brevitas memoriæ, plenitudo doctrinæ.* Alibi *certam fidei regulam* vocat, *per quam credentes Catholicam tenerent veritatem, & per quam hæreticam convincerent pravitatem.* Ruffinus, *hoc Symbolum,* dicit, *poſſe etiam vocari Indicium, per quod ſi quis occurrat de quo dubitetur, interrogatus Symbolum, prodat utrùm hoſtis ſit an ſocius.* Denique, Maximus Taurinenſis

Tom. 10. De Temp. Ser. 2. Dom. in Ramis palmarum, pag. 849. & ſerm. 181.

Expoſ. in Symb. Apoſtol.

CAP. 7. Serm. de Symb. ſcribit, *Apoſtolos Eccleſiæ Dei myſterium fidei tradidiſſe, ut quia ſub uno Chriſti nomine credentium futura erat diverſitas, ſignaculum ſymboli fideles perfidóſque ſecerneret.* Jam videamus quæ fuerit Scholaſticorum de hoc Symbolo ſententia.

Part. 3. qu. 69. memb. 2. Halenſis hanc cauſam affert componendi Symboli, *Ut eſſet inſtructio fidelium in una intelligentia & confeſſione veritatis & devotione religionis, in qua beatificanda eſt humana natura.* Paulò póſt; *Inſtructio fidei fuit cauſa compoſitionis Symboli Apoſtolici: ad hoc enim compoſitum eſt, ut in una fide credendorum ſaluti neceſſariorum* 2. 2. qu. 2. art. 5. in corp. *fideles erudirentur.* Aquinas ſtatuit, *quantum ad hæc prima credibilia quæ ſunt articuli fidei, teneri unumquemque explicitè ea credere; quantum autem ad alia credibilia, teneri ſolùm implicitè & in præparatione animi ea credere, quando hoc ei conſtiterit in doctrina fidei contineri.* Sent. l. 3. diſt. 25. qu. 1. in concluſ. reſp. ad 2. Banaventura ait, *Quando quæritur utrùm ſufficienter doctrina fidei contineatur in Symbolo Apoſtolico, reſpondendum, quòd, ſi loquamur de doctrina fidei quantum ad ea quæ ſunt in ea principia & propria, ſufficienter in illo Symbolo continentur: Neque ullum eſt credibile quod non poſſit reduci ad articulos in Symbolo contentos, ſicut ad principia & ſtabilia fundamenta.* Mitto alios Scholaſticos; quia communis illorum ſententia eſt, Explicatum Symboli

Apoſtolici

Apoſtolici fidem ſufficere vulgaribus Chri- CAP. 7.
ſtianis ad ſalutem; quamvìs major ſci-
entiæ menſura à majoribus requiratur.
Unde Magiſter Sententiarum, poſtquam
definiiſſet, *Tempore gratiæ oportere uni-* *Sent. lib. 3. diſt. 25.*
verſa credi quæ in Symbolis continentur,
poſtea addit, *Aliud eſſe ſcire tantummodo
quid homo credere debeat propter adipiſcen-
dam vitam beatam, aliud ſcire quomodo
hoc ipſum contra impios defendatur. quâ* *Ib. diſt. 35.*
*ſcientiâ non pollent fideles plurimi, quam-
vìs polleant ipſâ fide plurimùm.*

Neque à Scholaſticis diſſentiunt nuperi Papiſtæ. Loquantur Patres Tridentini; *Symbolum Apoſtolorum eſt principium illud* *Seſſ. 3.* *in quo omnes qui fidem Chriſti profitentur neceſſariò conveniunt, ac fundamentum firmum & unicum contra quod portæ inferni nunquam prævalebunt.* In ipſo etiam Catechiſmo Tridentino Symbolum hoc vocatur *Chriſtianæ fidei ac ſpei formula,* *Pag. 14.* *veritatis ſumma ac fundamentum, primò ac neceſſariò omnibus credendum.* Caniſius *Symboli verba eò ſpectare* affirmat, *ut ve-* *In opere Catechiſt. qu. 7. De Fide & Symbolo.* *ram Dei divinarúmque rerum cognitionem, quæ ad bene beatéque vivendum cuique eſt neceſſaria, ſuccinctè comprehenſam habeamus.* Jacobus Bayus appellat, *Chriſtianæ* *Inſt. relig. Chriſt. l. 1. cap. 25.* *fidei regulam omnibus fidelibus præſcriptam, quoniam per hanc communem fidei profeſſionem domeſtici & fratres ab inimicis ſecernuntur.*

Cap. 7. Ex quibus teſtimoniis colligimus, fuiſſe communem Theologorum ſententiam, Omnia fidei Chriſtianæ fundamentalia dogmata, neceſſitate medii ad ſalutem hominum neceſſaria, hoc Symbolo fuiſſe comprehenſa, ità ut nemo pereat ob meram inſcitiam Dei & Chriſti qui explicatam fidem hiſce adhibuerit. Non tamen dicimus, præter hæc pauca Fundamentalia, poſſe Chriſtianos cætera dogmata omnia in ſacris Scripturis poſita ſuſque déque habere. Imò neceſſitate præcepti tenentur Paſtores & Doctores *conſummationem ſanctorum & ædificationem corporis Chriſti* promovere, *donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum*, &c. Tenetur etiam ipſe populus, ubi facultas ſuppetit & opportunitas, *creſcere in omnes divitias plenitudinis intellectûs, in agnitione myſterii Dei Patris & Chriſti Jeſu.* Sed nec Doctores particularium Eccleſiarum, nec Chriſtiani in illis viventes, tenentur fraternæ communionis vinculum abrumpere cum aliis Eccleſiis quæ Summam hanc fidei Chriſtianæ eo ſenſu quo à Catholica Eccleſia ſemper recepta fuit amplexantur, atque hæreſibus eandem evertentibus adverſantur.

Epheſ. 4. 11.

Coloſſ. 2. 2

Jam ſicuti poſuimus Symbolum Apoſtolicum ſummam Fundamentalium quoad Fidei ſalutifera myſteria, ità agnoſcimus Decalogum, quaſi Agendorum Symbolum,

bolum, quoad officia Cultûs debita Deo, & officia Charitatis quæ debentur Proximo. Nam Fundamentalia dogmata ſatìs aptè vocare poſſumus, non modò ea fidei myſteria quorum cognitio explicata eſt ad ſalutem Chriſtianorum omnino neceſſaria, ſed ea etiam legis Divinæ dictata quibus minimè cognitis non poſſumus ad obtinendam ſalutem Deum colere ut oportet. Hoc ſenſu Decalogus appellatur Symbolum agendorum, æquè ac illud alterum, de quo dictum eſt, Symbolum credendorum. Nam ſcientia myſteriorum Divinorum merè ſpeculativa neminem perducere poteſt ad vitam beatam, abſque ſcientia practica mandatorum Divinorum. Legis itaque doctrina in Eccleſiis planè neceſſaria eſt & omnino retinenda, ſine qua Chriſtus retineri non poteſt. Huic enim legi non vita ſolùm corporalis ſed vita etiam ſpiritualis ſubjecta eſſe debet. Quæ autem in hac lege Dei proponuntur adeò ſunt fundamentalia ut nec violari poſſunt abſque reatu mortis nec oppugnari aut negari abſque crimine hæreſeωs.

Luth. Tom. 1. in Diſp. pag. 406. Philipp. p. 436.

Fundamentalia Symboli eò tendunt ut ad vitam æternam cognoſcamus Deum & Chriſtum qualem ſeipſum uterque revelavit; Fundamentalia Decalogi, ut colamus utrumque ſicut ſeipſum colendum præcepit. Si quis Fundamentalia cultûs Divini everterit, tam à ſalute excluſus eſt

Cap. 7. quàm ſi myſteria fidei evertiſſet. *An neſcitis quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? Nolite errare. neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri*, &c. Quaſi dixiſſet Apoſtolus, Non minùs damnabile eſt errare in principiis hiſce moralibus quàm in ſpeculativis. Nam corruptio exiſtimationis circa ea quæ pertinent ad Mores hæreticum facere poteſt, non minùs quàm circa ea quæ pertinent ad Fidem, ſi ſit in univerſali aliquo principio legis Divinæ. Qui credit ſe poſſe multos Deos colere, aut Deum verum in imagine manu-facta adorare, qui opinatur furtum aut fornicationem eſſe rem licitam, impingit in dogma fundamentale, & incurrit in hæreſin perniacioſam & damnabilem. Dictamen etenim practicum quod quolibet mandato Legis includitur, eſt veritas fundamentalis, atque credi debet æquè ac articulus Symboli in ſpeculativis. Si quis ergò crederet aut doceret, Parentes noſtros non eſſe honorandos, aut aliud quicquam contra mandatum Divinum, quamvis ſuos debito honore proſequeretur, aut mandatum illud obſervaret, eſſet tamen hæreticus, & ob fundamentum fidei everſum meritò accuſandus. Viderit itaq; Romana Eccleſia, quæ Fundamenta Fidei Chriſtianæ ſuâ potiſſimùm operâ gloriatur fuiſſe hactenus conſervata, an in Fundamentalibus Decalogi non erraverit craſſè

1. Cor. 6. 9.

Aquin. Quæſt. diſp. de Superb. art. 4.

craſſè & damnabiliter; ut de erroribus aliis nihil dicam. Cap. 7.

Jam ſi quis Symboli & Decalogi fundamentalibus doctrinis doctrinam Sacramentorum in Evangeliis clarè revelatam velit adjicere, non repugno: Eâ tamen lege & conditione, ut ſicuti non evadunt Fundamentalia ea omnia quæ fundamentalibus Symboli articulis Theologi conantur ſuperſtruere, ſed pro Fundamentalibus habentur ea ſola quæ ſunt omnibus cognitu & creditu ad ſalutem neceſſaria: ſic etiam in re Sacramentaria non quicquid de Sacramentis occaſione verborum ab ipſo Chriſto prolatorum diſputari aut colligi poteſt, erit illico Fundamentale; ſed quicquid ità ſtabilivit Chriſtus ut ad gratiam ac ſalutem in uſu Sacramentorum percipiendam ſit abſolutè neceſſarium. Ad Sacramentum Baptiſmi quod attinet; Fundamentalis doctrina eſt, Chriſtianos in nomine Sacroſanctæ Trinitatis, ut in Chriſti familiam inſerantur, eſſe baptizandos. Qui hoc credunt & faciunt, retinent fundamentalem Baptiſmi doctrinam, quamvìs contingat eoſdem falſas aliquot opiniones de Baptiſmo mente concipere, aut inanes ritus circa adminiſtrationem Baptiſmi exercere. Sic in Euchariſtiæ Sacramento fundamentalis doctrina eſt, In pane & vino eſſe celebrandum; Memoriam Dominicæ paſſionis in

CAP. 7. eo ſemper eſſe recolendam; In illo Sacramento Chriſtianos habere non vacuam & umbratilem Chriſti crucifixi repræſentationem aut ſignificationem, ſed veram, realem, ſalutiferam communicationem corporis & ſanguinis Chriſti. Qui hæc omnia credit, quamvìs difficillima quæ agitantur inter Theologos de Modo præſentiæ & manducationis problemata nè cogitaverit quidem unquam, nedum in alteram partem aſſenſum ſuum inclinaverit, fundamentalem de hoc Sacramento doctrinam integrè & ſufficienter ad gratiam èx eodem hauriendam amplectitur.

1. Cor. 10. 6.

Triplici huic generi Fundamentalium, quorum primum in Symbolo, ſecundum in Decalogo, tertium in Baptiſmi ac Eucharistiæ Sacramentis conſpicitur, quartum in Oratione Dominica collocatum poſſumus adjungere. Cùm enim Invocatio ſive Oratio ſit Divini cultûs actio ad gratiam & ſalutem obtinendam abſolutè neceſſaria, habeat oportet quædam Fundamentalia quibus incognitis aut ſpretis nullius planè momenti ſit, quibus retentis ſit efficaciſſima. Fundamentale dogma eſt, Solum Deum religioſâ oratione eſſe invocandum; Eſſe invocandum per Filium Mediatorem noſtrum quo freti eum Patrem noſtrum appellamus; Eſſe invocandum propter omnia bona quibus indigemus; ſed maximè propter gratiam, veniam, & gloriam,

gloriam, quibus maximè indigemus; Eſſe denique invocandum in fide, charitate, ac conſcientia bona. Qui hiſce contradicit, hæreticus planè eſt, & fundamentalia de Orationis officio dogmata pervertit. Cap. 8.

Hæc quatuor quæ attigimus eſſe ſola in Fundamentalibus Chriſtianæ religionis numeranda, liquidò mihi conſtare videtur ex ipſorum Apoſtolorum & primitivæ Eccleſiæ praxi omnibus notiſſima. Nullam enim Eccleſiam particularem, quæ fidem Symboli, obedientiam Decalogi ſanctè profitebatur, quæ Sacramenta juxta regulam Chriſti adminiſtrabat, Deúmque in Chriſti nomine invocabat, fundamentalia fidei ſalutiferæ dogmata abjeciſſe, aut à communione Catholicæ Eccleſiæ excidiſſe judicabant: Nam ob levioris momenti errores admonendas putabant, non abſcindendas à corpore Catholicæ Eccleſiæ, quaſvis Eccleſias particulares Chriſti nomine inſignitas.

Cap. VIII.

Fraternam communionem inter Evangelicas Eccleſias eſſe retinendam, probatur rationibus petitis à communione quam habent in unico Fundamento Perſonali Jeſu Chriſto.

Quandoquidem concordiæ inter Eccleſias Evangelicas ſtabiliendæ id

Cap. 8. unum maximè obſtat, quòd docti quidam ac pii viri hujuſmodi conventionem & communionem fraternam prorſus illicitam arbitrantur, nos pro virili conabimur oſtendere, non modò licitam eſſe hanc particularium Eccleſiarum inter ſe communionem, ſed Deo gratam illíſque neceſſariam. Huic rei probandæ jacta ſunt jampridem fundamenta in illis quæ de Fundamento Perſonali, de fundamentis Miniſterialibus & Doctrinalibus ſunt fusè diſputata. Id unum reſtat, ut rationes per totam hanc diſſertationem noſtram palantes & diſperſas quaſi ſub ſigna redigamus, ut uno intuitu conſpici poſſint. Ordiemur (uti par eſt) ab iis quæ manant à conſideratione unici illius Fundamenti Jeſu Chriſti Servatoris noſtri, cui omnes adhæreſcunt, & à quo omnia bona, temporalia, ſpiritualia, æterna, ad omnes Eccleſias Evangelicas dimanant.

Rat. 1. Quas Eccleſias non diffitemur retinere conjunctionem & communionem ſalutiferam cum Chriſto Capite & Fundamento ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ, cum illis decet nos retinere fraternam communionem: Imò, niſi nos agnoſcamus à Chriſti corpore alienos, non poſſumus non eſſe fratres illorum qui cum Chriſto primogenito Fratre noſtro fraternam communionem retinere judicantur. Sancta etenim germanitatis vincula inter ipſas Eccleſias non

non poſſunt pro libidine hominum rumpi, niſi rumpantur inter illas & Chriſtum, qui eſt Caput omnium Eccleſiarum. Si Saxonicæ Eccleſiæ putent Helveticas, aut Helveticæ Saxonicas, ità à Chriſto per errores ſuos alienatas & divulſas, ut nec in Chriſto fundatæ, nec à Chriſto Fratre primogenito in ſocietatem membrorum ſuorum fraternam aſſumtæ ſint, communionis renunciatæ cauſam aliquam obtendant: Sin hoc aſſerere minimè auſint, quos Chriſtus non erubeſcit fratres ſuos agnoſcere & vocare, nos juſtam cauſam habere non poſſumus cur communionem fraternam iiſdem renunciemus. Donatiſtarum perverſitas fuit, ab aliis Eccleſiis communicatorias literas non accipere, cum aliis Eccleſiis nulla fraternitatis jura agnoſcere: At quid interim Eccleſiæ orthodoxæ fecerunt? ex Auguſtino id diſcere liceat; apud quem legimus, *Iraſcentes ob hanc rem Donatiſtas fuiſſe tamen pro fratribus agnitos ab orthodoxis.* ex Optato etiam Milevitano; qui *nomen Fraternitatis non* putavit *iſtis denegandum*; qui *impietatis eſſe* putavit *de iſto nomine vel tacere.* Aut igitur pronunciandum eſt, Eccleſias aliquas Evangelicas amiſiſſe conjunctionem ſuam cum Chriſto Eccleſiæ Fundamento, communionem fraternam cum Chriſto Fratre primogenito, aut ab earundem fraterna communione non eſt recedendum.

Cap. 8.

Aug. Epiſt. 162.

Contra Donat. poſt Coll. cap. 35.

De Schiſm. Donat. lib. 1. in initio. lib. 4. initio

Secundo

CAP. 8. Secundo in loco argumentamur à certiſſimis ſignis & indiciis unde nobis perſuaſum eſſe poteſt & debet hanc vel illam Eccleſiam eſſe cum Chriſto angulari Lapide conjunctam; nam ab iiſdem concludere poſſumus, aliis etiam Eccleſiis incumbere ut ab eadem non disjungantur. Quibus ergò non deeſt Cognitio Dei & Chriſti ad vitam æternam neceſſaria, quibus competit Fides vera, vera Pœnitentia, Novæ vitæ & ſanctæ Obedientiæ ſtudium, iis concedere debemus ſalutiferam cum Chriſto Fundamento conjunctionem: At nemo (quod ſciam) adhuc inventus eſt qui tulerit ſanguinariam hanc ſententiam, Non eſſe in hac vel illa Evangelica Eccleſia tantam Dei Chriſtique Cognitionem quæ proficiat ad ſalutem, Non eſſe in illa ordinariam Juſtificationem Chriſtianorum per fidem, Non eſſe ſerium Pœnitentiæ exercitium & Novæ vitæ ſtudium. Quòd ſi hæc omnia omnibus Eccleſiis Evangelicis conveniant, manifeſtum eſt illas manere cum ſuo Fundamento & Capite conjunctas; nec minùs manifeſtum, cum omnibus membris habere fraternam & internam communionem, oportere etiam habere & externam. *Nam multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra.* Ex connexione cum hoc Fundamento dependet ac neceſſariò conſequitur connexio & communio

Rat. 2.

Rom. 12. 5.

1. Cor. 12. 12. et Eph. 4. 16.

munio inter ſe ſingularum Eccleſiarum, Cap. 8.
imò ſingularum perſonarum,niſi Apoſtolo fidem derogandam judicemus.

De quolibet ſingulari homine, ac multò magìs de qualibet Eccleſia, præſumendum eſt bonum donec conſtet contrarium: Præſumere itaque tenentur Saxonicæ Eccleſiæ Helveticas adhærere Chriſto Fundamento ſuo, donec evidenti aliquo aut ſaltem valde veriſimili argumento probare poſſunt rem aliter ſe habere: Tantum autem abeſt ut probare poſſint illarum à Chriſto ſeparationem, ut ſalutiferæ unionis cum Chriſto incurrant in oculos & animos omnium argumenta extra omnem aleam dubitationis poſita. Quis enim à Chriſto ſeparatos dixerit, qui *unum hunc Dominum, unam Fidem, unum Baptiſma* retinent? qui *unum Deum & Patrem omnium, qui eſt ſuper omnes*, ritè colunt? Aut hæc ſufficere debent Eccleſiis ut ſolicitæ ſint *ſervare* inter ſe *unitatem ſpiritûs in vinculo pacis*, aut neſcivit Apoſtolus Paulus quid ad hanc unitatem conferruminandam valere poſſit.

Rat. 3.

Eph. 4. 5, 6.

Eph. 4. 3.

Si quis objiciat, Non rectè ſentire Helveticas Eccleſias de Præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia, de Modo manducationis, de Communicatione idiomatum, de multis aliis Theologicæ ſcientiæ capitibus; id unum ab illo quæram, (nam de ipſis rebus non eſt hìc diſputandi locus) Utrùm

CAP. 8. Utrùm tanti momenti putet hoſce errores ut Eccleſiam errantem à ſuo Fundamento divellant, ut eundem Dominum, eandem Fidem, idem Baptiſma, eundem Deum Patrem (de quibus loquitur Apoſtolus) habere non permittant? Si illud non auſit affirmare, poſſunt Eccleſiæ φιλαδελφίαν ſive fraternam communionem cupientes abnuentibus objicere illud Optati Milevitani, *Vos nobiſcum, id eſt, cum fratribus veſtris, pacem habere non vultis. at non poteſtis non eſſe fratres, quos iiſdem Sacramentorum viſceribus una mater Eccleſia genuit, quos eodem modo adoptivos filios Deus Pater excepit.* Quòd ſi quis adhuc pergat diſtrahere & diſcerpere Eccleſias quæ in hoc Perſonali Fundamento connectuntur, illud Eſaiæ objiciendum putamus, *Nè diſſipes illas, quoniam benedictio eſt in iis.*

De ſchiſm. Donat. l.4. in initio.

Iſai.65,8.

Rat. 4. Ab Apoſtolorum praxi firmum argumentum petere poſſumus contra eos qui propter particularium perſonarum errores Eccleſiarum communionem fraternam putant diſſolvendam: Nunquam enim hoc Apoſtoli tentarunt, nunquam integras Eccleſias Chriſto Fundamento ſalutis humanę adhæreſcentes occaſione ſive prætextu errorum quorumcunque dividebant abinvicem aut inter ſe collidebant. Notum eſt in Eccleſiam Corinthiorum & Galatarum varios errores fuiſſe introductos, notum

tum eſt à viris magnis & multi nominis fuiſſe defenſitatos ; nunquam tamen Paulus purioribus & ſanioribus Epheſiorum, Philippenſium, aut Coloſſenſium Eccleſiis perſuadere ſatagit nè communionem fraternam cum illis impurioribus tueantur: quinimo illas Eccleſias errorum & turbarum plenas pro *ſanctificatis* Chriſti Eccleſiis agnoſcit, nec dedignatur ipſos errantes & deceptos *Fratrum* nomine cohoneſtare. Nunquam licitum eſt probare errores qui in aliis Eccleſiis diſſeminantur : at ſemper licitum eſt cum ipſis cœtibus particularium Eccleſiarũ fraternam communionem profiteri, dum illi profitentur & retinent cum Chriſto Eccleſiæ Catholicæ Fundamento ſalutiferam unionem. *Sicut boni à malis in Eccleſia Catholica non debent niſi operum diſſimilitudine ſeparari; ità Eccleſiæ rectè ſentientes de aliquo dogmate non debent ab errantibus intra Eccleſiam Catholicam conſtitutis, niſi errorum diſſimilitudine ſeparari. Per nefaria ſchiſmata velle bonos à malis ſejungere, dementiæ potiùs temeritas eſt quàm ſeveritas diligentiæ*, inquit Auguſtinus. Quidni & nos dicamus, Per nefaria ſchiſmata velle Eccleſias non errantes ab errantibus ſeparare, temeritatem magis ſapit quàm curam veritatis. Ab Hæreticis qui ipſum Fundamentum ſubvertunt, recedere jubet pietas; quia neceſſarium eſt : at ab Errantibus Eccleſiis

quæ

CAP. 8.

1.Cor.1.2. Gal.1.2. et 5.11. et 6.18.

Aug. De fide, ad Petr. Diac. cap. 43.

Tom.4. De fide & oper. cap. ult.

CAP. 8. quæ Fundamento adhærent, diſciſſionibus iniquis diſſilire vetat charitas; quia ſchiſmaticum eſt.

Rat. 5. Inter Eccleſias particulares omnia facienda ſunt ad mutuam ædificationem corporis Chriſti, nihil ad deſtructionem. Ad ædificationem pertinere fateor, ut oſtendamus errantibus Eccleſiis errores ſuos: ad deſtructionem tamen tendere affirmo, ut propter quoſvis errores diſjungamus inter ſe Eccleſias quas in ipſo Fundamento manere conjunctas confitemur. Nunquam enim fando auditum eſt, unam Eccleſiam reduxiſſe aliam in viam veritatis, aut Chriſto arctiùs conjunxiſſe, opprobriis, conviciis, anathematiſmis, fraternæ communionis abrenunciationibus. Mitiora eſſe debent conſilia & ſuaviora remedia quæ faciant ad errantis Eccleſiæ reformationem aut conquaſſatæ ſtabilimentum. Hæc autem ſeparationis ſive diſcindendæ communionis decreta non inania modò fuerunt hactenus, ſed pernicioſa, & ad diſturbandas quàm ædificandas Eccleſias multò efficaciora. Siqua igitur Eccleſia à Fundamento ſuo nondum divulſa eſt, ad vicinas ſpectat errantem cum omni lenitate καταρτίζειν, non cum hoſtili crudelitate ἀποκόπτειν aut ἀποῤῥίπτειν.

Gal. 6. 1.

Rat. 6. Qui in eodem Chriſto fundati ſunt & radicati ad participationem vitæ æternæ, debent

Eph. 1. 18.

debent in charitate mutua radicari & fundari: Eccleſias autem Evangelicas in eodem Chriſto Domino & Servatore noſtro fundatas eſſe, nemo Evangelicorum diffitebitur: Perpendendum igitur utrùm ab officio & ipſa natura charitatis non prorſus abhorreat, propter diverſitatem aliquam ſententiarum facere perpetuum ſchiſma ſive diviſionem Eccleſiarum. Senſit Auguſtinus *charitatem Chriſtianam niſi in unitate Eccleſiæ non poſſe cuſtodiri; eóſque qui in diſcordia permanent, ad Iſmaelis funiculum pertinere.* Quis enim dixerit in ſchiſmate non eſſe odium fraternum, cùm origo & pertinacia ſchiſmatis nulla ſit alia niſi odium fraternum? Certiſſimum eſt, charitatis propria effecta in hiſce Evangelicarum Eccleſiarum diſſidiis non apparere. Teſtem appello ipſum Apoſtolum; ad Rom. 12. verſ. 9, 10, 11, &c. & 1. ad Cor. 13. verſ. 5, 6, 7, &c. Si in Chriſto Fundamento Eccleſiæ ſanctificari & ſervari concedimus illas Eccleſias quas in fide errare aliquatenus arbitramur, parùm nobis proderit fides noſtra aliquantò ſanior, ſi deſit dilectio in omnes ſanctos: Fides etenim ſalutifera eſſe non poteſt, niſi cum charitate ſive fraternitatis amore conjungatur, ut paſſim teſtantur Scripturæ. *Quid ergò proderit homini ſana fides, ubi lethali vulnere ſchiſmatis peremta eſt ſanitas charitatis?*

Cap. 8.

Contr. Lit. Petiliani, lib. 2. cap. 77. & contra Donat. 1. 15. cap. & ibid. cap. 11.

Joh. 13. 35 et 1. Joh. 3. 14. et 1. Cor. 13. 1, 2.

Auguſt. De Bapt. cont. Donat. lib. 1. cap. 8.

C A P.

CAP. IX.

Fraternam inter Eccleſias Evangelicas communionem non eſſe reſcindendam ob diverſas de quæſtionibus cōtroverſis opiniones, probatur rationibus petitis à defectu legitimæ poteſtatis in Miniſtris ad eandem diſſolvendam.

NEminem latere poteſt, ipſos Doctores ſive Eccleſiarum Miniſtros fuiſſe ab initio hujus Separationis (quam ſublatam optamus) præcipuos imò ſolos autores. Neque dubitandum eſt, per illos ſolos ſtare, quòd Eccleſiæ Evangelicæ innumera diuturni hujus diſſidii expertæ incommoda, nolint tamen fraternæ communionis jura inter ſe redintegrare. nam ſi Doctoribus viſum eſſet dextras fraternitatis inter ſe jungere, hâc ipſâ horâ Eccleſias ſeſe mutuò complectentes conſpicere poſſemus. Videamus igitur an rectè fecerint, aut rectè jam faciant, qui fraternæ communionis vincula inter Eccleſias Evangelicas vel ſuaſerunt dirumpenda, vel contendunt non eſſe jam renovanda. Nos contrarium opinamur, hiſce rationibus inducti.

Rat. 1. Non eſt penès Miniſtros particularis alicujus Eccleſiæ ſeparare aut abſcindere aliam Eccleſiam particularem à communione fraterna quam habet cum Catholica; ergò nec ab illa quam habet cum quavis

quavis parte Eccleſiæ Catholicæ ; atque idcirco nè à communione fraterna quam habere debet ſecum, niſi fateri velit ſemetipſam non eſſe Catholicæ Eccleſiæ partem. Antecedentis veritas indè mihi liquere videtur, quòd niti debet autoritate Catholicæ Eccleſiæ omnis juſta & legitima ſeparatio cujuſcunque membri à corpore ejuſdem Catholicæ: nam membrum unum in aliud non habet hanc judiciariam poteſtatem. Nota eſt Juriſconſultorum regula, *Sententia à non judice ſuo lata, nulla eſt ipſo jure :* Particulares autem Eccleſiæ non ſunt judices privatarum perſonarum in externis Eccleſiis viventium ; quantò minùs ipſarum Eccleſiarum ? Siqua igitur Eccleſia aliam à communione cum Catholica disjunctam pronunciaret, contemnenda eſſet ejus ſententia, tanquam judicis extra ſuæ juriſdictionis limites jus dicere præſumentis. Sed fortaſſe qui antecedens hujus noſtri argumenti facilè concedent, de conſequente tamen dubitabunt ; atque ſtatuent, unam partem Catholicæ Eccleſiæ poſſe aliam partem ejuſdem. (hoc eſt, unam particularem Eccleſiam poſſe aliam particularem Eccleſiam) à communione ſua fraterna abjicere,privatâ ſuâ ſententiâ & autoritate. Nego, quamlibet Eccleſiam particularem habere legitimam poteſtatem diſſolvendæ fraternitatis Chriſtianæ cum quacunque alia, niſi quatenus

CAP. 9. quatenus hæc ſeparatio nititur Catholicæ Eccleſiæ autoritate, quæ una omnes omnium gentium Eccleſias ſuo complexu continet. Nititur autem hâc autoritate ſeparatio, quoties fit propter dogmata Catholicæ Eccleſiæ judicio ità ſtabilita, ut à communione fidelium Chriſtianorum excluſi habeantur qui eadem oppugnare aut negare cognoſcuntur. Hâc freti autoritate rectè denegamus fraternam communionem Eccleſiis falſò & æquivocè Chriſti nomine inſignitis, quæ Chriſti Divinitatem explodunt, adorandum Trinitatis myſterium ſugillant, aut quodvis fundamentum fidei Chriſtianæ ſacrilegâ audaciâ evertunt: nam hæc omnia in rem judicatam tranſierunt, ídque Apoſtolicæ & Catholicæ Eccleſiæ notiſſimâ ac celeberrimâ autoritate. At nec rectè nec pro more Eccleſiæ Catholicæ fit ſeparatio, quoties una particularis Eccleſia denegat alteri fraternam communionem propter diſſenſum in quæſtionibus nuper natis & autoritate Catholicæ Eccleſiæ nunquam in unam aut alteram partem tanquam fidei Catholicæ dogmata definitis. Nulla enim Eccleſia fraternæ communionis vinculum quo copulantur omnia membra Catholicæ Eccleſiæ, pro ſuo arbitrio abrumpere poteſt cum particulari aliqua Eccleſia, quin eâdem operâ ſeipſam dividat à Catholicæ Eccleſiæ corpore, in quo exſiſtere nequeunt membra

membra ulla quæ cum reliquis debitam compaginationem & unionem amiſerunt. Concludamus hoc argumentum Auguſtini teſtimonio, qui paſſim docet, *Illicitam eſſe hanc ſeparationem bonorum à malis intra Eccleſiam Catholicam conſtitutis; Eóſque qui à compage corporis membra alia avellere conantur, ſeipſos potiùs à Chriſti unitate ſeparare; Nihil denique obeſſe bonis quòd in unitate ac participatione ſacramentorum cum illis maneant quorum facta improbant.* neque cum illis quorum opiniones probare non poſſunt: Nam, ſi eidem Auguſtino fidem adhibemus, *à præſumtione illicita excuſari nequeunt, qui nimis amando ſententiam ſuam uſque ad præcidendæ communionis audaciam perveniunt.* Præſcindi enim nec debent nec poſſunt à communione particularium Eccleſiarum, quæ manent conjunctæ cum Eccleſia Catholica.

Cap. 9.

Tom. 3. De fide ad Petr. Diac. cap. 43. Tom. 4. De fide & oper. cap. 4, & 5.

Tom. 7. De Bapt. contra Don. 2. 5.

Non debent Eccleſiæ particulares noſtrâ ætate id ſibi arrogare quod Apoſtolorum ſeculo nulla unquam auſa eſt facere; Non debent Miniſtri Eccleſiarum id urgere quod ut fieret ipſi Apoſtoli nunquam auſi ſunt perſuadere: Sed unam particularem Eccleſiam renunciare omnem fraternam communionem alteri eſt res planè inaudita & à prudentia & praxi Apoſtolorum prorſus aliena. Inter ſeptem Eccleſias Aſiaticas ad quas ſcripſit Johannes,

Rat. 2.

Apoc. 2. 3.

CAP. 9. hannes, perſpicuum eſt quaſdam fuiſſe erroribus infectas à quibus aliæ fuerunt immunes : Quæ tamen puriores erant cum impurioribus Chriſtianam ac fraternam communionem colebant : ſingulíſq; perſuadebat Apoſtolus, ut vitia ac errores ſuos corrigerent ; nulli, ut vitiorum aut errorum prætextu ab aliis diſſiliret. Nam ſicuti in corpore naturali partes bene affectæ & vigentes curare ſtudent morbidas & infirmas, non abalienare ; ità in corpore myſtico Catholicæ Eccleſiæ ſi quæ ſunt aliis puriores & ſaniores, mederi tenentur quantum in illis eſt aliarum vitiis & erroribus, non communionem fraternam totis Eccleſiis denegare. Huc accedit, quòd hæc fraternæ communionis abrenunciatio excommunicationis ſpeciem ac vim habere videtur : quæ cenſura non eſt diſtringenda à Miniſtris Eccleſiæ ob quodvis peccatum aut quemvis errorem, nè in ſingularem quidem perſonam ipſorum miniſterio ſubjectam ; in totum autem corpus Eccleſiæ illis minimè ſubordinatæ, nullo modo. Nam ſicuti Jura prohibent excommunicare collegium vel communitatem, quia contingeret innoxios irretiri ; ità jus fáſque prohibet excludere à communione fidelium integras Eccleſias, quia hoc fieri non poteſt abſque injuria & contumelia multorum innocentium. Si quis ob cultum Baaliticum denegandam ſtatuiſſet

Decret. 6. De ſent. Excomm.

tuiſſet communionem toti Eccleſiæ Iſrae- Cap. 9.
liticæ, præterquam quòd actum exercuiſſet miniſterialis poteſtatis limites excedentem, ſummâ injuriâ affeciſſet illa ſeptem hominum millia quorum genua nunquam Reg. 3.19.
erant incurvata ante Baal. Si quis dixerit hanc fraternæ communionis abnegationem quam diſſuademus non eſſe illam communitatis excommunicationem quam Jura reſpiciunt, fateor aliquid diſcrepantiæ inter hæc duo; nego tamen id tanti momenti eſſe ut licitum faciat in uno quod illicitum eſt in altero. Eſt quidem excommunicatio propriè dicta actus legitima Judicis, qui tranſit in ſubditos ſuos, eóſque ligat quantumvìs invitos: Eſt autem hæc de qua loquimur fraternæ communionis abrenunciatio actus judicantis tantummodo de perſonis ſibi minimè ſubditis, eoſdémque declarantis fraternâ omni communione indignos, atq; idcirco eos, quantumvìs cupientes, ab eadem repellentis. Quocunque nomine appelletur hæc aliarum Eccleſiarum à fraterna noſtra communione depulſio, magnam infert illis injuriam & contumeliam: indignas enim ſtatuit eo Fraternitatis honore quem Chriſtus Frater noſter primogenitus haud dedignatur illis impertire. De excludendis itaque totis Eccleſiis à communione cum ſuis nè cogitare quidem debuiſſent Miniſtri Eccleſiarum: Satis fuiſſet ſingulares perſonas

CAP. 9. ſonas communionem ſuam ambientes tum demum abjicere cùm manifeſtum eſſet illos talibus flagitiis coinquinari, aut tam perniciosis erroribus implicari, ut jure bono poſſint ac debeant à communione omnium fidelium arceri & exterminari.

Rat. 3. Non debent Miniſtri particularium Eccleſiarum (Saxonicarum puta, aut Helveticarum) in communione concedenda aut deneganda duriùs agere cum Chriſtianis fratribus aliarum Eccleſiarum quàm agunt cum ſuis : Nam fraternitas Chriſtiana quæ intercedit inter membra Chriſti non variatur pro locorum aut nationum varietate. At noſtros ad rigidum examen non vocamus, quid de controverſis articulis ſentiant, quibus Doctoribus adhæreſcant ; ſed ad jus communionis valere arbitramur, ſi fundamentalia Chriſtianiſmi dogmata in Catechiſmo comprehenſa unà nobiſcum teneant & profiteantur, & Chriſto adhæreſcant. Eâdem æquitate utendum eſſet erga Eccleſias externas, præſertim erga ipſum corpus Eccleſiarum, quod maximam ob partem ex ſimplicioribus & imperitioribus Chriſtianis coaleſcit, quibus cum controverſa Theologia non eſt neceſſe habere aliquid commercii. Non videntur igitur illæ Eccleſiæ Evangelicæ rectè agere quæ abhorrent à communione cum aliis & profitentur apertam diviſionem & ſeparationem,

Rom 12.5.

propter

propter aliquam diſcrepantiam opinionum in arduis quæſtionibus, de quibus certò ſcire non poſſunt aut inquirere quid jam teneatur à populo in Eccleſiis externis. Illud autem ex ſcriptis Doctorum certò ſcire poſſunt, craſſos illos errores quos qui Lutherani vocantur imponunt Calviniſtis, quos qui Calviniani vocantur imponunt Lutheranis, neque à doctis neque ab indoctis hodie defendi, ſed ab utriſque rejici & damnari. Hujus itaque ſeparationis, quam nonnulli neceſſariam putant, nec neceſſaria nec ſatìs juſta cauſa adhuc apparet. Cap. 9.

Non poſſunt Doctores cujuſcunque Eccleſiæ talem ſeparationem introducere quæ unitatem Eccleſiæ Chriſti & fraternitatem Chriſtianam reſtringit ad partem Lutheri aut Calvini, utì hodie Papiſtæ ad partem Pontificis Romani eandem coarctant. Hæreditas etenim Chriſti iiſdem terminis definitur quibus Fraternitas Chriſtianorum, & in eaſdem anguſtias compingitur in quas hanc contrudimus. Si itaque Eccleſiaſticam communionem & fraternitatem Chriſtianam nullam agnoſcimus cum Eccleſiis diverſa à nobis ſentientibus, manifeſtum eſt nos Chriſti Eccleſiam, quæ ex innumeris conſtat Eccleſiis, ad partem noſtram vocare. Nam ſiqua Eccleſia Evangelica profiteatur ſe fraternam communionem habere aut non *Rat.* 4.

CAP. 9. poſſe aut nolle cum Eccleſia Saxonica aut Helvetica propter aliquam ſententiarum diverſitatem, quæro cum quibus poſſit aut habere velit. Non cum Romana, non cum Græca Eccleſia: nam in pluribus ac majoris momenti controverſiis ab hiſce diſſentit. Non cum ulla alia ubivis locorum: nam nulla aſſignari poteſt cum qua non habeat aliquam ob diſcrimen doctrinæ diſſidendi materiam. Eò igitur res tandem redibit, ut qui fraternitatem Chriſtianam ſe habere nullam putant niſi cum ſuæ ſententiæ adſtipulatoribus, periiſſe dicant è reliquo mundo Eccleſiam Chriſti, & in ſuarum partium Eccleſiis ſolummodo remanere. At hoc illud idem eſt quod in Donatiſtis Eccleſia Catholica ſemper improbavit, quódque Scripturis manifeſtiſſimis repugnare Auguſtinus & Optatus Milevitanus demonſtrarunt. Urget enim prædictus Auguſtinus, *Chriſtum hæreditatem ſuam perdidiſſe, ſi communio Chriſtiana ad unum locum aut regionem alligetur*: atque *imprudentiæ eſſe* dicit, *communionem orbis terrarum velle damnare*. Oſtendit etiam, *pro bono unitatis ea eſſe toleranda quæ minimè probamus*; *neque cognitos malos bonis obeſſe in Eccleſia, ſi eos à communione probibendi aut poteſtas deſit, aut aliqua ratio conſervandæ pacis impediat*. Uno verbo; *Donatiſtas, qui fratres nullos extra ſuam partem agnoſcere*

Auguſt. Epiſt. 150, *&* 161. *& Epiſt.* 162, 163, 164. *& Tom.* 7. *De unitate Eccl. cap.* 13, *&* 16.

agnoſcere volebant, adverſùs orbem terrarum ſacrilegæ diſſenſionis altare erexiſſe pertendit. Hæc Auguſtinus. Optatus etiam contra hanc reſtrictam fraternæ communionis rationem acriter pugnavit. Dicit, *Ipſos Donatiſtas ab orthodoxis pro fratribus agnoſci.* Dicit, *Iſtos hâc ſuâ reſtrictâ Fraternitate non permittere Filium Dei poſſidere promiſſam à Patre hæreditatem; ſed Eccleſiam ejus, ubi ipſi volunt, collocare, ubi ipſi nolunt, rurſus exterminare.* Dicit, *Ipſum Fraternitatis nomen, utcunque Donatiſtis faſtidioſum, eſſe tamen orthodoxis erga ipſos Donatiſtas neceſſarium.* Dicit, *Eos Dei voluntatem & juſſionem ſequi, qui pacem amando communicant toti orbi terrarum.* Dicit denique, *Separationem illam fratrum à fratribus quam tuebantur Donatiſtæ Deo diſplicere.* Ut abſolvam hanc quartam Rationem noſtram; Quamvìs mihi perſuaſerim nullam ex Evangelicis Eccleſiis eâ animi ſuperbiâ ac malignitate abhorrere à fraterna cum aliis communione quâ abhorrebant Donatiſtæ, tamen ingenuè profiteor me haud intelligere quomodo ſe expedire poſſint qui cum aliis Eccleſiis fraternam communionem non retinent, ſed jura fraternitatis Chriſtianæ intra limites ſuarum ſolummodo Eccleſiarum coarctare moliuntur.

Cap. 9.

Lib. 1. *in initio.*

Lib. 2. *propè ab initio.*

Lib. 3. *init.*

Lib. 6.

Lib. 7.

Nulla Eccleſia particularis putat ſe te- *Rat.* 5.

CAP. 9. neri ad fraternitatem renunciandam alii Eccleſiæ propter vitia hominum in eadem viventium, quamvìs nota, ſparſa, & regnantia. Alibi ſiquidem regnare Gulam, alibi Ebrietatem, alibi Libidinem ſcimus omnes: atque hæc Gentium vitia non minùs nobis nota ſunt quàm dogmata: Si propter hæc flagitia vitæ, quæ in pluribus dominantur, cum integris Eccleſiis diſſolvendæ fraternitatis occaſionem non captamus, neque illud facere debemus propter errores intelligentiæ, quæ levioris reatûs ſunt apud Deum, & ad ipſum corpus plebis Chriſtianæ ſæpenumero non pertingunt. Si Apoſtolo conſultore uti volumus,

1. Cor. 5. 11 2. Theſſ. 3. 6.

ob Nequitiam potiùs quàm Inſcitiam recedendum eſt ab aliorum Chriſtianorum ſocietate: ob neutram tamen jubet Eccleſias ab Eccleſiis, ſed ſingulares perſonas à ſingularibus, ſeſe ſubtrahere. Imò illicitum eſt ob hæreſin paucorum aut multorum Doctorum in Eccleſiis particularibus dominantium Chriſtianam aliquam Eccleſiam totam abjicere & à fraterna nobiſcum communione ſeparare.

Ad Tit. 3. 10.

Hæreticum hominem poſt unam aut ſecundam correptionem devita, ſciens quia ſubverſus eſt qui ejuſmodi eſt, & proprio judicio condemnatus, inquit Apoſtolus. Singularem hominem à communione aliorum Chriſtianorum excludere licet propter hæreſin damnabilem in qua eſt proprio iudicio condemnatus,

demnatus, aut de pertinacia convictus; non licet propter errorem in quem alienâ fraude deductus eſt, quémque nullâ pertinaci animoſitate, ſed imaginatione veritatis & pietatis illuſus, defendit: At univerſam aliquam Eccleſiam Evangelicam (verbi causâ, Anglicanam aut Gallicanam) nulla alia Eccleſia Evangelica poteſt à fraterna ſua communione vel propter errata vitæ vel propter errata doctrinæ ſeparare aut exterminare. Ratio in promtu eſt; Quia totam illam Eccleſiam in damnabilem hæreſin incidiſſe probari non poteſt; Quia pertinacia totius alicujus Eccleſiæ in errore qualicunque ab externis Eccleſiis nec demonſtrari poteſt nec præſumi debet; Quia denique de rumpendo vinculo fraternitatis inter totas Eccleſias nullum habemus mandatum Dei, nullum monitum Apoſtolorum. Si quis hîc quærat, cur Eccleſiarum Doctores, qui ob vitia craſſa & enormia paſſim inter Chriſtianos regnantia nunquam ſuaſerunt ſuis ut à fraterna cum aliis Eccleſiis communione ſeſe dejungerent, tam vehementer ſuadeant id faciendum eſſe propter errores in quos opinantur eas incidiſſe, hoc reſponſum habeat; Id indè evenire, quia ſcientiæ laudem magìs affectamus quàm ſanctitatis, & iniquiore animo toleramus eos qui dubia noſtra dictata oppugnant quàm eos qui aperta Dei mandata violant.

CAP. 9. *Vide Auguſt. Epiſt. 162. & tom. 6. De util. cred. cap. 1.*

CAP. 10. Si res ſecùs ſe haberet, facilè perſpicere poſſemus non magìs licitum eſſe propter errata doctrinæ abrumpere fraternitatem quæ intercedit inter particulares Eccleſias quàm propter peccata vitæ quæ paſſim & manifeſtè in illis regnare conſpiciuntur. Cavendum ergò ab erroribus aliorum: at minimè ſeparandum ab Eccleſiis Chriſtianis in quibus dominantur, ſive ad vitam ſpectant ſive ad doctrinam; quia ad talem actum in Miniſtris cujuſcunque particularis Eccleſiæ nulla eſt legitima poteſtas.

CAP. X.

Ex natura & qualitate dogmatum de quibus certatur, Fraternam communionem inter Evangelicos non debuiſſe diſſolvi, oſtenditur.

HOc mihi imprimis videtur eſſe præmittendum, Vincula fraternæ communionis non oportere diſſolvi inter Chriſtianas Eccleſias ob quævis opinionum diſſidia, ſed ſolummodo ob Fundamentalium dogmatum oppugnationem aut negationem. In confeſſo enim videtur eſſe apud omnes Evangelicos, ob quaſvis erraticarum opinionum ſtipulas hanc ſeparationem non faciendam. Hinc etenim eſt quòd cùm tueri volunt hanc Eccleſiarum diſſociationem fuiſſe jure bono

conſtitutam,

conſtitutam, viciſſim ſemper hanc litem intendant, Quòd ab aliquo Catholicæ fidei fundamento ſit facta diſceſſio: Nam niſi hoc conſtiterit factum, non ab uno aut altero Doctore in Eccleſia, ſed ab ipſa Eccleſia quatenus ſub ratione Corporis connexi & coadunati conſideratur, valere non debet ad unam Eccleſiam Evangelicam ab altera diſtinguendam. CAP. 10.

Hoc autem in loco haud intempeſtivum erit paucis monuiſſe, Actuale exercitium externæ communionis cum particulari aliqua Eccleſia (Romanam cogita) poſſe impediri & interrumpi nullâ noſtrâ culpâ; quoties ea in publico Dei cultu actus quoſcunque idololatricos probari aut exerceri à nobis efflagitet, vel dogmata Scripturis & piorum conſcientiis repugnantia agnoſci & recipi jubeat cogátque. Interea tamen Eccleſia iſta quæ minimè ſana aut orthodoxa habetur, viſibilis Chriſti Eccleſia habenda eſt & inter particulares Chriſtianas Eccleſias reponenda. Imò, quantum in nobis eſt, omnia fraternæ charitatis officia ſunt eidem exhibenda, quamvìs actualis noſtra & externa cum eadem communio nec ab iſtis permittatur, nec à nobis, ob falſam doctrinam & cultus ſuperſtitioſos in eadem prævalentes, poſſit retineri.

Nunc ex illis quæ antea diſputavimus de diſcrimine Fundamentalium dogma-

Cap. 10. tum à Non-fundamentalibus, conabimur oſtendere non eſſe ea Fundamentalia de quibus inter Evangelicos tanto ingeniorum æſtu hactenus certatum eſt.

Rat. 1. Illa ſola pro Fundamentalibus agnoſcenda, quibus everſis aut minimè creditis nullus hominum cœtus poteſt Deum ità colere ut ab eo veniam, gratiam ac gloriam obtineant: At nullum dogma controverſum inter Evangelicos eſt hujuſmodi: nullum ergò fundamentale. Majorem propoſitionem nemo in dubium vocabit; quia clarum eſt, eos qui ab ipſis fidei ſaluti̇feræ fundamentis reſiliunt non eſſe capaces illorum beneficiorum quæ ſolis fidelibus promittuntur. Ad Minorem quod attinet; Si quis aſſerere audeat, nullam ſpem veniæ, gratiæ aut gloriæ iis affulgere qui in hiſce controverſis doctrinis ſeorſum ab aliis ſentiunt, hunc ego arbitror plùs peccare in charitatem quàm ulla ex Evangelicis Eccleſiis peccat in veritatem. Imò illud auſim adjungere; Si quis in hoc ſolo errore verſetur, illum magìs concutere fundamentum Evangelicæ veritatis quàm eos quos ob alios errores quoſcunq; in controverſa Theologia violati Fundamenti temerè inſimulat.

Rat. 2. Dogmata illa de quibus contenditur inter Evangelicos neque toti mundo prædicata fuerunt ab Apoſtolis, ſicuti fuerunt ea omnia quæ erant cognitu & creditu ad

ſalutem

ſalutem Chriſtianorum planè neceſſaria, Cap. 10.
neque ab Eccleſiis ſuccedentibus fuerunt pro talibus populo Chriſtiano univerſim commendata. Quicquid itaque de harum opinionum veritate diverſimodè ſtatuant Eccleſiæ diverſæ, in hoc tamen oportet omnes conſentire, quòd non ſint fundamentalibus Chriſtianæ fidei articulis connumeranda. Si quis ullum caput controverſæ inter Evangelicas Eccleſias Theologiæ poterit in brevem ac minimè ambiguam propoſitionem conjicere, ac de eadem verè affirmare, *Hæc propoſitio ab Apoſtolis aſſerta, ab univerſa Eccleſia inter Catholicæ & ſalutiferæ fidei articulos recepta fuit*, manus dabo, Fundamentalem doctrinam vocabo, atque illas Eccleſias quæ eam rejiciunt à Fundamento receſſiſſe pronunciabo, & aliarum Eccleſiarum fraternâ communione indignas judicabo. Si autem nemo Evangelicorum hoc facere poterit, nemo debet appellare illud Fundamentale dogma quod ipſe defendit, aut aliarum Eccleſiarum Theologos in alia opinione conſtitutos de Fundamento everſo poſtulare; multò minùs ob hanc cauſam fraternæ communionis jura totis Eccleſiis denegare.

Fundamentalium dogmatum affirmatio adeò clara habetur in ſacris Scripturis, Rat. 3.
ut in contraria damnata dogmata nemo ex indoctis, nedum è doctis, incidere

CAP. 10. poſſit, niſi qui valde negligentes ſunt in Catholica fide addiſcenda, aut qui ipſam fidem quæ in Scripturis manifeſta eſt nolunt diſcere. quod ab Auguſtino verè obſervatum eſt. Patet autem omnibus, in hiſce doctrinis de quibus diſſident Eccleſiæ Evangelicæ, ex altera ſaltem parte decipi innumeros Chriſtianos bonos, pios, atque veritatis cupidiſſimos, imò multos primæ claſſis Theologos, in Scripturarum lectione ac meditatione per totam vitam verſatos & exercitatos. Neque quis hîc mihi objiciat, modernos Antitrinitarios indies ſcrutari Scripturas, atque nihilominus perſiſtere in fundamentalis Articuli præfracta abnegatione. Non ſolummodo enim negligentes ſunt in Catholica fide addiſcenda atque ex Scripturis ſacris haurienda, ſed contumaces in Catholica fide oppugnanda, atque furiosè audaces in Scripturarum manifeſta doctrina ad vertiginoſæ Rationis ſuæ calculos revocanda. Competit itaque in iſtos illud Apoſtoli, *Ideo mittet illis Deus operationem erroris*, &c. Sed nemo eandem ſententiam ferre poteſt in illos Chriſtianos qui adhærent ſive Saxonicis ſive Helveticis Eccleſiis: Nemo igitur ſtatuere debet illa dogmata eſſe Fundamentalia, aut ad ſalutem cognitu neceſſaria, in quibus modò hos modò illos decipi eſt probabile, utroſque autem rectè ſentire quoties ſibi contradicunt eſt impoſſibile.

De Agone Chriſti, cap. 28.

2. Theſſ. 2. 11.

Non

Non eſt dogma Fundamentale, quod ex Scripturis non poteſt aliter elici & deduci quàm per difficiles aut longos conſequentiarum tramites ſimplicibus Chriſtianis ſemper impenetrabiles, eruditis aliquando vix aliquando nè vix quidem conſpicuos. Talia ſunt omnia quæ controverſiam habent inter Eccleſias Evangelicas: quorum connexionem cum fidei Catholicæ fundamentis diſputatores ex utraque parte dicunt ſe videre planè neceſſariam, at antagoniſtæ ex utraque parte reclamant, ſe videre planè nullam. Populus autem dialecticæ artis imperitus cæcum plerunque adhibet aſſenſum ſuis Doctoribus, de firmitate conſequentiarum interim planè incertus. Quæ hunc in modum à Doctoribus eliciuntur & Chriſtianis proponuntur, poſſunt nonnunquam eſſe vera, ſed nunquam poſſunt eſſe Fundamentalia, hoc eſt, cuivis Chriſtiano cognitu & creditu ad vitam æternam capeſſendam abſolutè neceſſaria. Nam quemadmodum ſolis luce & beneficio frui poſſunt qui Mathematicas demonſtrationes de ſolis magnitudine aut motu percipere nequeunt, ità luce & beneficio Fundamentalium dogmatum frui poſſunt ad ſalutem qui Theologicas illationes & deductiones ex iiſdem petitas intueri non poſſunt. Non ſunt igitur Fundamentalia, ſed ex Fundamentalibus quorundam opinione ritè deducta,

Cap. 10. Rat. 4.

Cap. 10. ducta, quæ tantopere credenda urgentur à Theologis inter ſe concertantibus.

Rat. 5. Non eſt prudentium Theologorum fundamentalium dogmatum numerum ità augere & multiplicare ut omnes Chriſtiani tam docti quàm indocti prorſus incerti & ignari ſint quæ & qualia ſint quæ ad fundamenta religionis & fidei Catholicæ propriè ſpectare judicentur. At ſi eò rem demittamus ut Fundamentalia habeantur quæ inter Evangelicos controvertuntur problemata, jampridem creverunt in multitudinem nimis numeroſam, creſcere poſſunt in multitudinem vix numerandam. Nam ſolenne illud à multis ſervatur, ut quod ipſi tanquam ſuperpondium adjecerunt axiomati cuicunque fundamentali, quódque conſectarium ejuſdem eſſe credunt, id ab omnibus illico in numero Fundamentalium reponi poſtulent. Si quibuſcunque Eccleſiis particularibus aut Doctoribus hanc facultatem creandi & multiplicandi Fundamentalia concedamus, actum eſt de certitudine Catholicæ fidei, áctum eſt de communione fraterna Catholicæ Eccleſiæ. Huic noſtræ ſententiæ fidem faciat inſanum erratum Romanæ Eccleſiæ, quæ incertarum opinionum magnam farraginem in Symbolum Tridentinum conjiciendo, eâdem operâ tam Catholicæ fidei immotam certitudinem quàm Catholicæ Eccleſiæ ab omnibus

bus deſiderabilem unionem labefecit. Non debemus' igitur nuper natas inter nos controverſias commiſcere Chriſtianæ fidei Fundamentis, quæ pauca ſunt, & Apoſtolorum prædicatione promulgata per orbem Chriſtianum, ac unanimi Chriſtianorum conſenſu recepta. CAP. 10.

Ultimo in loco; Hæc de quibus contendimus non fuiſſe habita in numero Fundamentalium, ex ipſa Confeſſione Auguſtana à Philippo conſcriptâ, à Luthero approbatâ & laudatâ, facilè apparet. Non eſt enim veriſimile tam ſolennis Confeſſionis Autores prætermiſiſſe dogma aliquod Fundamentale fidei Chriſtianæ abſque cujus cognitione & fide ſalus in Chriſto Jeſu nequeat obtineri. At in hac Confeſſione nihil illorum apparet de quibus tam acre certamen initum eſt inter Helveticas & Saxonicas Eccleſias. In articulo tertio de Unione duarum naturarum in Chriſto, in articulo decimo de Præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in Cœna Dominica, nihil poſuerunt quod omnium Evangelicorum calculo non fuit approbatum. Quòd ſi cæteros articulos percurramus, perpauca inveniemus poſt ultimam limam adhibitam de quibus ulla diſſenſio eſt inter Eccleſias Evangelicas, nihil quod tanti momenti eſt ut ſchiſma Eccleſiarum introducat. Sed fac in hac Confeſſione exſtare nonnulla quibus aſſenſum *Rat. 6.*

CAP. 10. ſenſum præbere nequeunt aliæ Eccleſiæ; ad pacem retinendam ſufficit quòd conſentiunt in omnibus ad ſalutem Chriſtianorum cognitu neceſſariis. Particularium etenim Eccleſiarum Confeſſiones non coarctantur ad ſola Fundamentalia, ſed extenduntur quandoque ad declarationem ſententiæ ſuæ de quibuſvis doctrinæ Theologicæ capitibus, prout expedire putaverint ad ædificationem ſuorum in veritate ac pietate. Non eſt itaque ferendus error illorum, qui quicquid poſitum inveniunt in Confeſſione ſua adeò Fundamentale haberi volunt, ut Eccleſias externas quæ per omnia & ſingula eam pro norma ſalutiferæ fidei non admittunt, inter damnatos hæreticos, Fundamenti everſores, uno verbo, inter homines impios, & à ſancta fraternitate bonorum Chriſtianorum alienos reponere non vereantur. Nihil fieri aut cogitari potuit iniquius. Nam ſi ponderemus omnium Reformatarum Eccleſiarum Confeſſiones, aut diſſertationes, atque ex una parte ponamus illa dogmata in quibus ad amuſſim conveniunt, ex altera ſtatuamus ea de quibus lis eſt; priora ad Fidei ac Pietatis fundamenta pertinere ex ipſa natura & qualitate dogmatum perſpiciemus, poſteriora aut ad ſubtilium ingeniorum minimè neceſſarias ſpeculationes aut (ſi aliquid habeant in ſe ſoliditatis) ad peritiorum

ritiorum Theologorum ex bene fundatis propoſitionibus veras illationes. Quæ autem hunc in modum ſuperſtruuntur fundamento Fundamentalibus ipſis non ſunt adæquanda; nec in Fundamentalibus errare judicandi, qui in hiſce aliquantulùm à recta veritatis linea aberrant.

Cap. XI.

Non eſſe inter Evangelicos de Fundamentalibus ullam controverſiam, oſtenditur, inſtando in tribus particularibus quæſtionibus quæ præ alius maximi momenti putantur ad diſſociandas Eccleſias.

PRiuſquam ingrediamur hanc diſſertationem, regulam hanc firmam & immobilem præmittere oportet; Non eſſe disjungendas Eccleſias Chriſtianas quæ conveniunt in omnibus cognitu aut factu ad ſalutem hominum Chriſtianorum neceſſariis. Non enim incumbit uni particulari Eccleſiæ autoritas inquirendi in alias, aut officium adigendi alias particulares Eccleſias ad normam Confeſſionum ſuarum, aut poteſtas ſolvendi vincula fraternæ unitatis inter ſuam & alias Eccleſias quaſcunque cum ſua in communi Fide, hoc eſt, in Fundamentalibus & ſalutiferis religionis Chriſtianæ articulis, conſpirantes. Videamus igitur an Evangelici eatenus conveniant, atque exempla capiamus ſolummodo ab illis tribus controverſiis,

CAP. II. troverſiis, De Præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia, De Idiomatum communicatione in Chriſti Θεανθρώπυ Perſona; De Divina Electione & Præteritione pro beneplacito Divinæ voluntatis. Nam ſi in hiſce quæſtionibus, quarum occaſione ingentes contentionum fluctus inter Eccleſias Saxonicas & Helveticas ſunt excitati, in confeſſo ſit apud utraſque quantum ſcire neceſſe eſt ad ſalutem; poſſunt reliqua omnia in medio relinqui aut pacificis animis diſceptari inter eruditos, minimè diruptâ aut dilaniatâ fraternâ Eccleſiarum communione. Ordiamur ab illa quæ cæteris omnibus dedit exordia, nempe à Præſentia corporis Chriſti in Cœna Dominica, & manducatione ejuſdem.

1. Primò, Nihil Fundamentale cogitari poteſt quod non unanimi conſenſu admittatur ab utriſque. Fundamentale eſt, *Chriſti corpus & ſanguinem ità verè adeſſe in adminiſtratione ſacramenti ut participari poſſint ad vitam indè hauriendam à communicantibus, & damnari juſtè poſſint qui panem & vinum ità ſumunt ut non unà ſumant Chriſti carnem & ſanguinem ad ſalutem ſuarum animarum.* De hac nulla diſſenſio. Nam Bucerus concedit, *Verè adeſſe & percipi corpus Domini in Euchariſtia.* Calvinus inquit, *Uno ore fatemur omnes, nos cùm juxta Domini*

Hoſpin. ad ann. 1544. *pag.* 191. *Ad annum* 1540. *pag.* 178.

Domini inſtitutum fide Sacramentum recipimus, ſubſtantiæ corporis Chriſti verè fieri participes. Beza ait, *Non negamus corpus Chriſti verè adeſſe, verè dari & percipi.* Cæteros mitto, quia nulla Eccleſia Evangelica nominari poteſt quæ veram cum Euchariſtia corporis & ſanguinis Chriſti præſentiam non profitetur, licèt ipſum præſentiæ modum ſupernaturalem planè & divinum, agnoſcat; eundémque non in contactu aliquo Phyſico, ſed in vivifico influxu & unione myſtica, eadémque realiſſima & arctiſſima, conſtituat. Fundamentale eſt, *Panem & vinum eſſe à Chriſto conſtituta media per quæ ritè manducantes hunc panem benedictum, & bibentes hoc vinum, manducent vivificam carnem Chriſti, & bibant ejus ſalutiferum ſanguinem, ad ſalutem animarum.* Nota eſt omnium Evangelicorum in hoc capite concordia: non eſt itaque laborandum in ea probanda. Fundamentale eſt, *Panem & vinum in Cœna adeſſe, manducari & bibi modo locali, naturali, ſenſibili; Chriſti autem carnem & ſanguinem adeſſe & participari modo divino, admirabili & inſcrutabili.* Sic Jacobus Andreæ, *De modo tantùm hoc dicere poſſumus, Eum eſſe ſupernaturalem & rationi humanæ incomprehenſibilem; ideóque de eo non eſſe diſputandum.* Paulò póſt; *Eſt cœleſtis, ſupernaturalis, adeóque modus*

Cap. 11.

In Coll. Mompelg. pag.66.

Coll. Momp. pag. 17, 18. Pag. 25. in Notis marg.

CAP. II. *modus planè ſpiritualis. Et ſicut Eccleſia cum Chriſto myſticum corpus eſt, ità etiam hæc perceptio in myſterio fit.* In Colloquio Lipſiaco nuper habito Saxonici conceſſerunt, *Modum perceptionis quem defendunt fieri vi elementorum, eſſe tamen cœleſtem, ſupernaturalem, Deóque ſoli notum.* Calvinum, Bucerum, cæteróſque omnes in eadem ſententia eſſe conſtitutos, nemo ignorat. Beza expreſſè ait, *Modum perceptionis myſterium eſſe credendum quod captum humani ingenii & intellectûs excedit.* Hactenus bene conveniunt inter ſe Theologi & Eccleſiæ.

Coll. Mompelg. pag. 66.

2. Secundò, Nihil Fundamentali doctrinæ hujus Sacramenti contrarium concipi poteſt quod ab omnibus Eccleſiis Evangelicis non rejiciatur & damnatur. E diametro adverſantur dogmata erronea, De nuda Repræſentatione corporis & ſanguinis Chriſti, à vera & reali exhibitione ſejuncta; De portentoſa Transſubſtantiatione panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, ſalvis tantummodo ſine ſubjecto accidentibus; De locali & Phyſica Præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in Cœna Dominica; De locali Conſubſtantiatione, Coexſiſtentia, aut Inexſiſtentia corporis & ſanguinis Chriſti cum elementis terrenis, aut in iiſdem. Hæc, & ſiqua alia ſunt quæ pugnant cum natura ſacramenti & veritate corporis Chriſti,

ſti, communi conſenſu non modò Helveticarum ſed Lutheranarum Eccleſiarum condemnantur. Loquatur pro cæteris omnibus Jacobus Andreæ; *Non ſtatuimus Phyſicam aut localem corporis & ſanguinis Chriſti in ſacra Cœna præſentiam. Vocabula* SUBSTANTIALITER, CORPORALITER, REALITER, ORALITER, *nihil aliud nobis ſignificant niſi veram corporis & ſanguinis Chriſti præſentiam & manducationem. Phyſicam Conſubſtantiationem omnem, ſive viſibilis ſit ſive inviſibilis, prorſus rejicimus; & conjunctionem duntaxat Sacramentalem docemus.* Eadem ſententia fuit Saxonicorum in Colloquio Lipſiaco, cui Brandenburgici & Haſſiaci ſubſcripſerunt.

CAP. II.

Coll. Momp. pag. 16.

Pag. 183.

Pag. 30. in Notis Marg.

3. Tertiò, nihil manet indeciſum in hac controverſia quod dogma Fundamentale appellari poſſit, aut propter quod fraterna Eccleſiarum communio ſanciri nequeat. Nam verbum illud ORALITER, quod uſurpatur à Saxonicis improbatur ab aliis Eccleſiis, ità ab hiſce adhibetur ut nullum Fundamentalem errorem invehant, ità ab illis repudiatur ut nullum Fundamentale dogma evertant. Nam qui tuentur Oralem manducationem tam Corporis Chriſti quàm Panis, negant tamen eam præſentiam corporis Chriſti localem ad Ora hominum, ſine qua Oralis

CAP. II. Oralis manducatio propriè dicta perfici nequit. Ore enim manducari non poteſt illud corpus inter quod & os humanum ingens locorum διάςημα conceditur; ore corporali manducari non poteſt quod ità loco adeſt oris ut localiter non adſit ori. Cùm itaque tale διάςημα admittant, talem locationem carni Chriſti tribuant, planum eſt, eos manducationem Oralem, quæ verè & propriè de pane ſolo aſſeritur, novo & figurato loquendi modo ad carnem Chriſti in cœlis localiter manentem ac ori humano haud localiter præſentem transferre. Porrò, quando ab hac Orali manducatione removent omnem carnis Chriſti maſticationem, rei manducatæ in ſtomachum demiſſionem, corporis humani per hanc carnem manducatam augmentationem aut nutritionem, perſpicuum eſt, utcunque illis viſum ſit retinere hanc loquendi formulam, nihil tamen per hanc Oralem manducationem intelligere quod cum Capernaitica carnis Chriſti laniena ſit conjunctum, aut cum ſignificatione vocabulorum (prout ſonant Latinis auribus) connexum. Illud ſolummodo videntur velle aſſerere, Oralem manducationem, quæ verè, propriè, uſitatè, immediatè de eſu panis affirmatur, poſſe, mediante vi panis benedicti, novâ, inuſitatâ, myſticâ, & planè cœleſti Oralis manducationis ſignificatione etiam ad ipſam carnem

Coll. Momp. pag. 25. & 29. In Notis.

Coll. Lipſ. pag. 12.

carnem Chriſti accommodari. Jam ad eos quod attinet qui ex adverſo contendunt, manducationem carnis Chriſti in Euchariſtia non appellandam Oralem manducationem, ſed potiùs Mentalem, Spiritualem, aut Perſonalem; quia perſona ore manducans panem, mente manducat ſimul veram & vivificam Chriſti carnem: non negant tamen panem viſibilem eſſe inſtrumentum aut medium à Chriſto inſtitutum quo perſona utitur ad manducationem Panis inviſibilis; ſed putant illius rei manducationem eſſe Oralem quæ poteſt oralibus inſtrumentis perfici, illius autem rei manducationem non eſſe Oralem dicendam, quæ nec localiter adeſt ori, nec, ſi ſic adeſſet, propter glorioſam quam habet & impaſſibilem naturam, poſſet orali alicui actui ſubjacere. Inter haſce ſententias, de proprietate verborum ſive de phraſeologia video quandam contrarietatem, at de ſumma & veritate fidei Catholicæ aut planè nullam, aut ſaltem tantulam ut, eâ non obſtante, communioni fraternæ inter Eccleſias ſtabiliendæ locus eſſe poſſit. Hæc de prima controverſia: Tranſeamus ad ſecundam. Cap. II.

De Perſona Chriſti, & Idiomatum communicatione.

Ex ſcriptis illorum qui hanc controverſiam agitarunt facile eſt oſtendere, Plenum eſſe

CAP. II. eſſe de Fundamentalibus conſenſum inter Eccleſias Reformatas, totúmque conflictum verſari aut circa loquendi modos qui in Scriptura ipſa non fundantur, aut circa conſequentias quæ ex Scripturis rectè poſſe inferri quidam aiunt quidam negant; ſalvis interim utrinque Fundamentalibus, quamvìs omni errore minimè excluſo circa Non-fundamentalia. Hujus aſſertionis veritas patebit

Primò, ſi ſincero ac prudente judicio ea omnia ponderemus in quibus qui de aliis litigant agnoſcunt tamen unum conſenſum concentúmque eſſe omnium Eccleſiarum Evangelicarum. Jacobus Andreæ *pag.* 18. ſeptem enumerat propoſitiones de quibus omnibus fatetur nullam eſſe controverſiam inter Eccleſias. Beza etiam de Perſo- *pag.* 20. na Chriſti & communicatione Idiomatum recitat nonnulla doctrinæ capita in quibus omnibus Theologos omnes Evangelicos conſentire perſpicuum eſt. Non multis abhinc annis in Colloquio Lipſia- *pag.* 5, 6. co clariſſimi quidam Theologi ad duodecim articulos revocarunt ea omnia in quibus de Perſona Chriſti & Proprietatum communicatione unanimis eſt conſenſus. In his de quibus tam concordem habemus omnium Eccleſiarum Evangelicarum ſententiam, non audeo dicere nihil deſiderari quod ad ſcientiam Theologicam ſpectat; confidenter tamen affirmo, nihil deeſſe quod

quod ad Catholicam fidem pertinet, nihil quod ad ſalutem hominis Chriſtiani ſit cognitu aut creditu neceſſarium, nihil denique quod arguat ſive hos ſive illos à Fundamento reſiliiſſe aut à communione mutua reſilire oportere. Si igitur in hac controverſia de Perſona Chriſti & Naturarum proprietatibus quædam reſtant enodatiùs explicanda, adhibeant Theologi ad hanc rem operas ſuas, non hanc ob rem diſcindant Eccleſias ſuas; Fratres errantes comiter in viam reducant, fraternæ unitatis vincula furenter non dirumpant: Fundamentalibus dogmatibus ſuperſtruant ſuum aurum, argentum, aut lapides pretioſos, & dejiciant ſtipulam & fœnum ab aliis ſuperædificatum; non deturbent alios à Fundamento, non disjungant ſeipſos ab illis quos ipſi Fundamento & Fundamentalibus articulis vident adhæreſcere. CAP. II.

2\. Secundò, quod de unanimi conſenſu in Fundamentalibus dictum eſt, perſpici poteſt, ſi perpendamus hæreſes omnes quæ unquam Fundamentalibus de Perſona Chriſti articulis repugnarunt, ac ſalutis humanæ fundamenta everterunt. Nam qui haſce omnes damnant & exſecrantur, de Fundamento violato accuſari non poſſunt, niſi per calumniam; damnari nequeunt, niſi per ſummam injuriam. Jam verò notiſſimum eſt, nullam poſſe com-

memorari

CAP. II. memorari hæreſin, ſive antiquam ſive novam, contra quam ſuffragium ferre omnes Eccleſiæ Evangelicæ non ſunt paratiſſimæ. In Colloquio illo Lipſiaco (cujus ſæpe mentionem fecimus, propter ſpem unitatis redintegrandæ quam nobis fecit) omnes Collocutores unanimi conſenſu & toto pectore damnarunt & rejecerunt omnes veterum recentiorúmque Arianorum, Neſtorianorum, Eutychianorum, Monothelitarum, Marcionitarum, Photinianorum, & quocunque præterea nomine appellentur errores: Symbolis è contrà, Apoſtolico, Niceno, atque Athanaſii, ore & corde aſſenſum præbuerunt. Qui hunc in modum probat omnia de Chriſti Perſona & Proprietatibus utriuſq; naturæ dogmata à vetere Eccleſia recepta & probata, rejicit omnia ab eadem damnata, poteſt fortaſſe in modo loquendi parùm ſanam verborum formam retinere, aut in aliquibus conſectariis parvam à veritate declinationem facere, at ſeceſſionem ab ipſo Fundamento aut Fundamentali Catholicæ Eccleſiæ doctrina facere non poteſt. Rectè ſiquidem Philippus; *Opiniones ignotas veteri Eccleſiæ, etiamſi hoc tempore ſunt receptiſſimæ, tamen non eſſe dogmata Catholicæ Eccleſiæ*: nedum dogmata fundamentalia ad dirimendam pacem ac unitatem Eccleſiarum coram Deo valida.

pag. 10.

Apud Luther. tom. 1. *in Diſp. pag.* 441. B.

Tertiò,

Tertiò, in hac materia, de Perſona Chriſti & Idiomatum communicatione, non eſſe Fundamentalia quæ adhuc pendent indeciſa, perſpici poteſt ex ipſis terminis ac vocibus quibus uti coguntur Theologi in ſententia ſua exprimenda. Nam de Fundamentalibus planas & perſpicuas enũciationes audimus: quales ſunt; CAP. II.

In Chriſto Θεανθρώπῳ natura humana & Divina ſunt arctiſſimè copulatæ.

Quælibet natura in Chriſto habet & retinet ſuas proprietates.

Proprietates unius naturæ nunquam fieri poſſunt proprietates alterius naturæ.

In Perſona Chriſti eſt communicatio proprietatum, quâ toti Perſonæ tribuitur quod alterius naturæ eſt proprium: Ut cùm dicimus, *Deum pro nobis crucifixum*; aut, *Chriſtum hominem eſſe omnipotentem.*

In hac communicatione Divina natura non effundit aut infundit humanæ Divinitatis propria.

Hæc, aliáq; omnia quæ de Perſona Chriſti & communicatione Proprietatum clarè enunciantur, nullã patiuntur contradictionem. At ea quæ extraneis & ambiguis terminis concipiuntur, lites ex litibus, quæſtiones ex quæſtionibus pariũt. Talía ſunt illa problemata: Utrùm naturarum proprietates in Perſona Chriſti Verbaliter duntaxat an Realiter communicentur; Utrùm communicentur in Abſtracto, aut in Concreto.

CAP. II. aliáque ejuſdem notæ: quæ ipſo verborum ſono conſtat ex Grammaticorum aut Dialecticorum ſchola prodiiſſe, non Apoſtolorum aut Patrum antiquorum; ac proinde non eſſe in numero Fundamentalium reponenda.

Sed paucula de ipſis quæſtionibus adjungamus. Quod quidam affirmant quæri, An talis ſit unio naturarum in Perſona Chriſti in qua neutra natura alteri quicquam præter nomen communicet; videntur mihi quæſtionem confingere quæ nunquam fuit inter Eccleſias Evangelicas. Nam unâ voce fatentur, Talem eſſe unionem naturarum in Perſona Chriſti in qua naturæ humanæ multa ſunt communicata, imò omnia quantumvìs excellentia dona quorum natura creata capax eſt ſubjectum. Atque ſicut nemo Evangelicorum hanc propoſitionem, *Chriſtus homo eſt Deus*, corrumpit hâc malignâ interpretatione, *Chriſtus homo habet nudum & inanem titulum Dei*; ità neque hanc, *Chriſtus homo eſt omnipotens*, hâc perverſâ expoſitione depravat, *Chriſtus homo eſt titulo aut verbo tenus omnipotens*: ſed agnoſcit ipſam rem quæ hoc prædicato ſignificatur Chriſto homini verè & realiter convenire, quia Perſonæ quam Hominis vocabulum deſignat verè convenit. Qui autem ex adverſo defendunt, rectè dici non modò de Chriſto Homine, quòd ſit Omnipotens,

Omniſci-

Omniſcius, &c. ſed etiam de Chriſti Humana natura, quòd ea ſit realiter Omnipotens & Omniſcia, &c. ſic tamen temperant & explicant hanc ſuam ſententiam, ut negent Divinas haſce proprietates in humanam naturam eſſe effuſas, aut unquam humanæ naturæ fieri inſitas proprietates; ſtatuántque ſolummodo per unionem perſonalem & ſubſecutam exaltationem ei eſſe in Perſona, non ſeorſum, tribuendas. Si quid diſcriminis ſit inter haſce ſententias, tam exile eſt, tam à populi Chriſtiani captu & vulgari intelligentia procùl remotum, ut in Fundamentalium dogmatum numero eſſe non poſſit, niſi comminiſci velimus novum genus Fundamentalium Catholicæ Eccleſiæ & populo Dei hactenus incognitum & inauditum. Cap. II.

Quod attinet ad alias quæſtiones quas nobis pepererunt quatuor illa vocabula, *Verbaliter*, *Realiter*, *in Concreto*, *in Abſtracto*, verè dicere poſſumus, Talia artis vocabula non debere ingredi Chriſtianæ fidei articulos; ex quorum cognitione pendet vita & ſalus, non doctorum ſolummodo & Dialecticorum, ſed indoctorum & quorumvis è plebe Chriſtianorum. Præterea, parùm conſentaneum eſt Fundamentalia dogmata quærere in propoſitionibus, quamdiu non conſtat de ſenſu & ſignificatione terminorum qui in illis ef-

CAP. II. formandis adhibentur. At quid *Concreti*, quid *Abſtracti* nomine venit intelligendum, inter Jacobum Andreæ & Theodorum Bezam non potuit convenire: neque adhuc in horum vocabulorum ſignificatione (quando ad Chriſtum referuntur) bene conſentiunt utriuſque partis Theologi. Satìs itaque eſt ad unitatem retinendam inter Eccleſias, quòd omnes agnoſcant, Communicationem Idiomatum non eſſe verbalem ſed realem, quatenus eadem & unica Perſona cui attribuitur, eſt verè & realiter Deus, eſt etiam verè & realiter homo; & proinde de Deo realiter prædicari poſſunt quæ ſunt hominis, & de Homine Chriſto quæ ſunt Dei.

Colloq. Mompelg. pag. 222, &c. & 228.

At ſi nomen *Dei* in *Divinitatem* aut *Hominis* in *Humanitatem* commutemus, omnes etiam agnoſcent non eſſe propoſitiones eâdem certitudine admittendas. Nemo de hac propoſitione dubitabit, *Deus pro peccatis noſtris fuit crucifixus:* veruntamen ſi hunc in modum transformetur, *Divinitas*, vel *Divina natura, pro peccatis noſtris fuit crucifixa*, non dubitandi ſolummodo ſed errandi præbebit occaſionem. Sic extra omnem quæſtionem poſita eſt hæc propoſitio, *Chriſtus Homo eſt omnipotens, omnipræſens*, &c. at ſi vocabulum *Hominis* mutetur in vocabulum *Humanitatis*, ut dicatur, *Chriſti Humanitas*, vel *Chriſti humana natura, eſt omnipotens, omnipræſens*, &c.

&c. apud Orthodoxos non adeò liquebit.

Auguſtinus facem nobis præfert ad formandas & intelligendas hujuſmodi de Chriſto Θεανθρώπῳ propoſitiones, in ſingulis penè libris. Conſulantur hæc loca quæ ad marginem ſunt annotata. Ipſe etiam Lutherus, apud *Hoſpinianum, multa habet de Perſona Chriſti & hac Idiomatum communicatione conſideratione digniſſima, & ad veram hujus quæſtionis intelligentiam appoſitiſſima. Hoc unum addam; Duas illas propoſitiones, *Chriſtus Homo eſt Deus*, *Chriſtus Deus eſt Homo*, quæ cæterarum omnium fundamenta ſunt in quibus fit hæc Idiomatum (de qua certatur) communicatio, eſſe ſupra & contra omnes regulas Dialecticorum & Philoſophorum. Fruſtrà igitur Dialecticis nitimur conſequentiis, quando alia nova Fundamentalia iiſdem annectere conamur: malè diſcindimus & dilaceramus Eccleſiarum unitatem, quando vim talium conſequentiarum pariter conſpicere nequeunt. Nam quæ Fundamentalium omnium in hac de Chriſti Perſona quæſtione veritatem agnoſcunt & amplexantur, non ſunt ab aliis Eccleſiis abjiciendæ propter quemvis in modo loquendi errorem, aut in modo inferendi ſive deducendi inſcitiam. Jam ultimo in loco, quid ſtatuendum ſit de illa quæ circa Prædeſtinationem Divinam verſatur controverſia, paucis videamus.

CAP. II. *Tom. 2. Vide Epiſt. 102. & Tom. 6. contra Ser. Arian. Tom. 7. De Pecc. mer. lib. 1. cap. 31. & Tom. 10. Ser. 14. De verb. Domini.*

**Hiſt. Sacr. part. 2. pag. 15, 16, 17, 18.*

Quod ad hanc controverſiam ſpectat, multa privatis quibuſdam magni nominis Doctoribus exciderunt in ipſo diſputationis æſtu quæ ad limatæ veritatis normam minimè quadrare videantur. Sed hæc ad unitatem & communionem Eccleſiarum diſcindendam urgeri non debent, ſi ſemel conſtiterit apud omnes Evangelicas Eccleſias in confeſſo eſſe quicquid in hac materia eſt creditu ad ſalutem neceſſarium, ab omnibus rejici omnes errores qui ſaluti hominum per Chriſtum obtinendæ adverſantur. Inſpicite omnes omnium Eccleſiarum Reformatarum Confeſſiones, nihil illis deeſſe deprehendetis quod Fundamentale poſſit appellari, nihil ineſſe quod Fundamentalem articulum quemcunque evertat. Conſentiunt omnes, Neminem ab æterno ad ſalutem electum ſive prædeſtinatum, niſi ex mera & liberrima Dei miſericordia ac gratia; Neminem in tempore ad ſalutem ſive vitam æternam perductum fuiſſe, niſi per viam fidei, pœnitentiæ, & novæ obedientiæ. Concedunt etiam omnes, Deum ab æterno tam decreviſſe dare electis quàm prævidiſſe danda ea omnia bona ſalutifera quorum auxilio perducuntur ad vitam æternam; Decreviſſe etiā ſic donare illis ac prævidiſſe ſic donandam hanc gratiam ſalutiferam, ut gloriari nequeant de ulla cauſa aut occaſione hujus munificentiæ Divinæ in

in ſeipſis inventa aut præviſa. Concedunt denique, Omnem quam ſingulares perſonæ habent aut habere debent de ſua ad vitam æternam Electione, non quærendam eſſe à priori, in Decreto aut Præſcientia Dei, ſed à poſteriori, in fructibus Fidei & Sanctitatis. Atque inſuper ſtatuunt, Electos ipſos conſolatione Electionis aut ſalutis ſuæ non poſſe ſuſtentari aut refici quando & quandiu extra viam ſalutis oberrant; quia *Spiritus ſanctus* non *teſtificabitur illorum cordibus quòd ſunt filii & hæredes Dei*, niſi quando *aguntur Spiritu Dei*. Non poſſunt autem homines Electionis & Adoptionis ſuæ verum & firmum ſolatium habere, niſi hoc Spiritu ſpiritui illorum illud teſtificante.

Cap. II.

Rom. 8. 14, 15, 16.

Quod autem attinet ad Præteritionem eam ſive Non-electionem quæ vulgò Reprobatio appellatur, nihil video Fundamentale de quo inter Eccleſias Reformatas ulla diſſenſio eſt. Si inter particulares Doctores nondum bene convenit, ſic exerceant lacertos ſuos ut ſchiſmate pernicioſo non divellant ipſas Eccleſias. Anglicanæ noſtræ Confeſſionis Autores in Articulo XVII. ubi de Prædeſtinatione agitur, nè uno quidem verbo attingere voluerunt illam alteram de Reprobatione quæſtionem: tum propter inutiles quas humana curioſitas indè elicit ſpeculationes, tum quòd ex Prædeſtinationis doctrina bene funda-

CAP. II. ta facilè poteſt colligi quantum aut neceſſe aut utile eſt de Reprobatione ſcire & tenere. Sed neq; hanc ob rem ulla cauſa eſt diſſolvendæ inter Reformatos fraternæ unitatis. Concedunt omnes & conſentiunt haſce propoſitiones eſſe veriſſimas:

Actum Reprobandi in Deo, ſicut & Eligendi, eſſe ab æterno.

Neminem ab æterno reprobatum eſſe qui non fuit abſque omni injuſtitia aut crudelitate reprobabilis.

Neminem fuiſſe à Deo prædemnatum ab æterno quem ab æterno damnationis reatu implicatum non prævidit.

Neminem in tempore eſſe damnandum niſi juſtiſſimo merito propriæ corruptionis ac impietatis.

Omnium malorum quæ demergunt reprobatos in perditionem, originem & cauſam non in Deo reprobante ſed in ipſis reprobatis inveniri.

Nulli ſingulari perſonæ de hac æterna Reprobatione conſtare poſſe, niſi ex fructibus damnatione digniſſimis, quos profert & proferre amat uſque ad finem vitæ ſuæ.

Nullam ſingularem perſonam eſſe quæ pœnitendo, credendo & perſeverando non poſſit vitam æternam adipiſci, juxta tenorem pacti Evangelici.

Nullum eſſe tale Dei decretum quo reprobati cogantur aut neceſſitentur ad peccandum

candum & pereundum, ſed pereunt ſemper voluntariâ infidelitate & impietate, non coactâ.

De hiſce omnibus conſenſum eſſe patuit nuper in Colloquio Lipſiaco. Siqua reſtant, ſunt ea de verbis potiùs quàm de rebus certamina, de ſubtilibus ſpeculationibus potiùs quàm de articulis fundamentalibus diſſidia. Hujuſmodi ſunt quæ inter Scholaſticos de ſignificatione ipſorum verborum, nempe *Prædeſtinationis* ac *Reprobationis*, diſputantur; de imaginario ordine Prioritatis & Poſterioritatis inter æternos actus Prædeſtinandi & Præſciendi; de inſcrutabili Modo Divinæ operationis circa omnes actiones humanas ſive bonas ſive malas; de Neceſſitate aut Contingentia rerum omnium quæ ab æterno ſive prædeſtinatæ ſive præſcitæ ſunt à Deo. In hujuſmodi perplexis controverſiis fieri non poteſt quin contradictiones ſæpenumero inter diſputantes oriantur: Concordia tamen fraterna iniri poteſt & conſervari inter ipſas Eccleſias; ſicut olim inter Africanas & Latinas conſervata fuit, Doctoribus Eccleſiarum interim diverſa ſentientibus in graviſſima de Hæreticis baptizandis quæſtione. Ut verbo abſolvam; Deſeri poſſunt Eccleſiæ (falsò nuncupatæ) quæ Apoſtolicæ prædicationis Fundamenta non poſſident: at non debent deſeri aut ab aliis divelli veræ Eccle-

Vide Cypr. Epiſt. ad Jubaian. & in Sent. Epiſc. De Hæret. bapt.

Cap. 12. ſiæ propter Doctorum particularium errata; quia fides Eccleſiarum non innititur nominibus vel ſcriptis ſingularum perſonarum.

Cap. XII.

Occurritur quibuſdam objectionibus, quibus moventur docti quidam Theologi ad communionem inter Eccleſias Reformatas dirumpendam.

DOlendum profectò eſt quoſdam adeò abhorrere ab Evangelicarum Eccleſiarum inter ſe fraterna communione, ut hoc ipſum vitio vertant pacificis Theologis, quòd nolint concedere haſce controverſias quæ inter eruditos verſantur debere ſanctæ fraternitatis vincula inter ipſasEccleſias dirúpere.Sed perpendamus quibus argumẽtis potiſſimùm freti hanc Eccleſiarum diſſociationem contendant eſſe planè neceſſariam

Arg. 1. Cum illis Eccleſiis communio non eſt retinenda quæ amplectuntur & cum pertinacia defendunt corruptelas doctrinæ gloriam Dei labefactantes & verbo Dei repugnantes: Sed hoc in multis dogmatibus fieri à Calvinianis putant Lutherani, & è contrà idem à Lutheranis fieri clamant quidam Calviniani : Non licet ergò ipſis Eccleſiis quæ Lutheri & Calvini nominibus malè diſtinguuntur, communionem fraternam inter ſe retinere.Majorem bene fundatam judicant in illo veriſſimo axiomate,Omnia quæ facimus ad gloriam Dei

1 Cor. 10. 31.

Dei eſſe referenda. Minorem probaſſe ſe arbitrantur percurrendo illa omnia doctrinæ capita de quibus dimicant: nam ex utraque parte præſumunt Theologi ſententiam ſuam ſemper facere ad illuſtrationem gloriæ Divinæ, adverſas opiniones ſemper tenebras eidem offundere. Cap. 12.

Reſp. Gloriæ Divinæ in omnibus noſtris actionibus eſſe ſtudendum, nemo negat: Fatendum etiam eſt, eam eſſe peccati & falſæ doctrinæ naturam, ut ſemper per ſe valeat ad gloriam Dei aliqua ex parte violandam. Sed illud videtur mihi infirmum quod ab utriſque tanquam poſtulatum minimè negandum præſumitur, nimirum, Ad Dei gloriam ſpectare, ut communionem fraternam renunciemus illis Eccleſiis in quibus defenduntur dogmata Divinæ gloriæ aliquo modo & gradu adverſantia. Quæ gloriam Divinam ità labefactant ut minimè patiantur ipſos errantes cum Deo & Chriſto ſalutiferam habere communionem, nec patiuntur orthodoxos Chriſtianos cum iiſdem fraternam unitatem retinere. Quæ autem veritati Scripturarum & gloriæ Divinæ repugnant aliquatenus, ſed non perimunt prædictam communionem, minimè ſuppeditare poſſunt cuicunque Eccleſiæ particulari juſtam cauſam ab altera diſcedendi & ſemet dividendi: Nam hoc ipſiſſimum crimen eſt quod infami Schiſmatis nomine omnibus odioſum antiqui

Vide Auguſt. contra Creſ. lib. 2. cap. 7.

Cap. 12. tiqui Patres reddere conabantur. Sed illud etiam adjungi poteſt, officio ſuo ſatisfacere Eccleſias rectè ſentientes, quando proſpiciunt ſuis nè aliorum erroribus implicentur, quando cum omni lenitate errantes Eccleſias in viam veritatis reducere moliuntur. At quando diſcedunt à communione & fraterna unitate illius Eccleſiæ à qua Chriſtus nondum diſceſſit, non tuentur gloriam Dei & Chriſti hâc ſuâ ſeparatione, ſed graviſſimè lædunt. Deniq;, cùm longè maxima pars Eccleſiarum particularium conſtet non ex eruditis Doctoribus ſed ex ſimplici plebe, verè affirmari non poteſt, quòd intelligant errores à doctis propagatos; multò minùs, quòd illis adhæreſcant; minimè omnium, quòd adhæreſcant pertinaciter. Non itaque illorum prætextu inter totas Eccleſias ſolvenda ſunt Chriſtianæ fraternitatis vincula. *Hieroſolyma enim conſtructa eſt ut civitas quæ coagmentata eſt in ſe pariter*, quæque partes ſuas divelli & dirumpi (quocunque id fiat colore) ægerrimè patietur. Pietati ergò tribuimus, quòd in Divinam gloriam peccare reformident; imprudentiæ tamen deputamus, quòd diviſionem Eccleſiarum Evangelicarum ad gloriam Dei promovendam aut neceſſarium, aut appoſitum, aut legitimum medium eſſe ſtatuant.

Arg. 2. Non poſſunt illæ Eccleſiæ mutuam fraternitatem inter ſe colere in quibus Doctores

ctores viciſſim alii alios horribilium erro-rum & teterrimarum *hæreſeων* reos agunt: At hoc fecerunt & adhuc faciunt Evange-licarum Eccleſiarum Doctores in ſcriptis ſuis: Communio itaque fraterna inter ipſas Eccleſias non poteſt retineri aut redinte-grari. Cap. 12. *Coll. Mompelg. pag. 567.*

Reſp. Quicquid ab iratis antagoniſtis *hæ-reſεως* nomine infamatur, non eſt protinus in catalogo *hæreſεων* reponendum. Ad me quod attinet, arbitror neminem poſſe ha-rum aut illarum partium Theologos in polemicis ſuis ſcriptis ab erroribus omni-bus liberare. Qui itaque noſtrorum The-ologorum dicta incommoda noſcimus benignâ interpretatione mollire, non de-bemus adverſariorum curvas opiniones magìs diſtorquere, & ex quibuſvis erro-ribus tetras & horrendas hæreſes facere. Huc accedit (quod omnes in hiſce contro-verſiis exercitati ſciunt eſſe veriſſimum) têtras illas quas Evangelici mutuò ſibi impingunt hæreſes maximam ob partem non expreſſè haberi in ipſorum Doctorum ſcriptis, nec *αὐτολεξεὶ* ab illis affirmari, ſed per neſcio quas conſequentiarum fidi-culas ex aliis eorundem verbis exprimi, ipſis reclamantibus & hæreſes illas toto pectore exſecrantibus. At inter bonos bene agier oportet, nec alienis verbis ſenſum hæ-reticum affingere, quando ipſi ſcriptores, qui optimi ſunt ſuorum verborum inter-

pretes,

CAP. 12. pretes, ad ſenſum catholicum poſſunt & ſolent ea reducere. Porrò ſumatur, (quod non eſt concedendum) Doctores hoſce convictos fuiſſe de horrendis illis erroribus de quibus inſimulari ſolent, utpote, de Deo Peccati autore, de Hominibus innumeris ad exitium & damnationem creatis, de ἀπουσίᾳ corporis & ſanguinis Chriſti à Cœna Dominica; alios etiam juſtè damnatos de introducta in Eccleſiam duplici Omnipotentia, Creata & Increata, de Capernaitica carnis Chriſti laniena, de carne Chriſti immenſa & infinita: ob hoſce tamen Doctorum errores nemini mortalium liceret diſcindere fraternam illam unitatem quam primogenitus Frater Chriſtus Jeſus ſartam tectam conſervari voluit inter omnes Catholicæ ſuæ Eccleſiæ particulas. Quod eò confidentiùs aſſerimus, quia (quicquid de ſingularibus Doctoribus ſtatuatur) certiſſimum eſt in omnibus Eccleſiis Evangelicis prædictos errores omnes, alióſque ejuſdem furfuris, unanimi omnium doctorum & indoctorum conſenſu fuiſſe ſemper carbone atro notatos & hæreticæ pravitatis notâ inuſtos. Quod olim ergò Donatiſtis, qui malè oderunt Eccleſiarum fraternam unitatem, ab Auguſtino

Epiſt. 50. dictum eſt, *Si peccavit Cæcilianus, non ideo hæreditatem ſuam perdidit Chriſtus*, id leviter immutatum à nobis jam uſurpari poteſt; Si erravit Lutherus, ſi in errorem

lapſus

lapſus fuerit Calvinus, non ideo unitatem ſuam perdidit Chriſtus, aut fraternam communionem perdere debent Chriſtianæ Eccleſiæ in quibus Lutherus aut Calvinus Doctoris officio functus eſt. Poſtremò, cùm omnes Eccleſiæ particulares ex hominibus congregentur errori obnoxiis, plùs quàm probabile eſt nullam Eccleſiam in terris reperiri in qua ſive qui docent alios ſive qui diſcunt ab aliis, ſunt ab omni errore liberi. Si itaq; cuicunq; Evangelicæ Eccleſiæ decretum ſit, nullam habere fraternam communionem cum ulla in qua celeberrimi Doctores graviter erraverunt, cum nulla ſub cœlo poterit tutò communicare, imò nec ipſa ſecum. Non ergò propter errata Doctorum facienda aut probanda ſunt divortia Eccleſiarum. CAP. 12.

Qui ſedent in cathedra ſive Doctorali ſive Paſtorali, publico munere funguntur, & illorum dogmata habenda ſunt Eccleſiarum dogmata in quibus verſantur: præſertim cùm in lucem eduntur illorum ſcripta; quo pacto fiunt publica, & illarum Eccleſiarum quibus inſerviunt aut expreſſo aut ſaltem tacito ſuffragio comprobantur. Quando igitur Doctores tuentur hæreſes tetras & damnabiles, tota Eccleſia præſumitur earundem rea; ac proinde abrupenda fraterna communio non minùs cum ipſis Eccleſiis quàm cum hæreticis Doctoribus. *Arg.* 3.

Reſpondeo; Ipſos Doctores Evangelicos *Reſp.*

CAP. 12. gelicos qui viciſſim accuſant & accuſantur de horrendis quibuſdam opinionibus ſcripto evulgatis, nunquam fuiſſe ab adverſariis tam horrendi criminis ullo publico aut legitimo judicio convictos: Imò ex tetris illis hæreſibus nulla poteſt nominari quam in ſcriptis ſuis non refutarunt & damnarunt qui earundem inſimulantur. In medium proferat qui poteſt quaſcunq; ex tetris illis hæreſibus quas à Luthero aut Calvino, à Lutheranis quos vocant aut Calvinianis, promulgatas vociferatur; facilè quis oſtenderit fuiſſe ab eiſdem rejectas & damnatas. Lutherum ab hujuſmodi accuſatoribus vindicavit vir doctiſſimus & in Eccleſia Dei celeberrimus, Johannes Gerhardus; Calvinum, ipſe dum vixit Calvinus, ac poſtquam è vita exceſſit, è noſtris quamplurimi. Vacillat ergò ipſum hujus argumentationis fundamentum: Quæ autem ſuperſtruuntur infirma ſunt & caduca ad unum omnia. Nam quiſquis inſidet cathedræ Doctorali, non idcirco præſumendus eſt nihil docere præter doctrinam Eccleſiæ notâ impreſſam, & quaſi publico ſigillo confirmatam: Neq; ſi plures ſcriptores in eundem errorem conſenſerint, Eccleſiæ totius conſenſus protinus involvitur. Nam ſua ſcripta in lucem emittendo faciunt ea publici juris, ſed non publicæ autoritatis. Legi poſſunt ab omnibus; at per omnia ab omnibus probari & credi

In Reſp. ad 8. Quæſt. Papiſt.

non

non debent. Rem ità ſe habere indè manifeſtum eſt, quòd Doctorum particularium ſcripta qui in eadem Eccleſia vixerunt, non habent eam conſonantiam, in controverſis præſertim quæſtionibus, quæ obtenditur: & ſi quid uni Doctori exciderit quod in pernicioſam hæreſin vergere poſſit, id ab alio aliquo reprehenſum & emendatum fuiſſe facilè oſtendi queat. Nullo igitur colore totæ Eccleſiæ arguuntur hæreſeως reæ, & à fraterna communione aliarum abſcindendæ, propter Doctorum privatorum errores, ſive falſè ſive verè objectos; quia communis conſenſus Eccleſiæ in iiſdem non apparet. Cap. 12.

Qui nolunt ob haſce quæ verſantur inter Evangelicos controverſias divelli & diſcindi ipſas Eccleſias, illi videntur ſentire, quemvis in ſua religione poſſe ſalvari, ac promiſcuam errantium multitudinem in eandem Eccleſiam militantem & triumphantem poſſe recipi: At hoc non eſt concedendum. *Arg.* 4.

Si cum Scripturis loqui volumus, unius Religionis nomen non ad quæſtiones difficiles, ſed ad Chriſtianæ fidei dogmata omnibus prædicata atque ab Eccleſiis Chriſtianis per totum terrarum orbem recepta, eſt accommodandum. Veram itaque & unicam religionem amplectuntur, qui de Deo, de Chriſto, de Eccleſia, de cæteriſq; omnibus ea credunt & faciunt [quæ ad ſalutem *Reſp.*

CAP. 12. lutem obtinendam ſunt cognitu & factu neceſſaria. Non itaque opinamur quemvis in ſua quam ſibi fingit religione ſervari poſſe; ſed credimus in Chriſtiana religione ſervari poſſe, atque in eandem Eccleſiam tam militantem quàm triumphantem recipi poſſe, qui eatenus conveniunt in doctrina Evangelii quatenus requiritur ut fides Chriſtianorum ſit credentibus ſalutifera, & cultus quem Deo exhibent ſit illi in Chriſto gratus & acceptus. Qui autem perfectam conſenſionem Eccleſiarum putant neceſſariam ut in communionem unius militantis aut triumphantis Eccleſiæ coaleſcant, vix ſe expedire poſſunt ab illorum errore qui Catholicam Eccleſiam in una parte definita reſidere autumarunt. Qui igitur, ſive in agendis ſive in credendis, ea dogmata tuentur cum quibus ſalus animarum & ſpiritualis Dei cultus non conſiſtit, verè dicuntur ab unica religione ſalutifera deſciviſſe: At qui retentis fidei & cultûs Divini Fundamentalibus univerſis, ab aliis diſſident, aut errant in conſectariis quibuſdam aut minoris momenti doctrinis, non novam aut alteram religionem profitentur, ſed in illa unica quam tenent ad perfectam ſcientiam nondum aſſpiraſſe convincuntur. Propter talem ſcientiæ imperfectionem Deus neminem excludit à communione cum Eccleſia militante; neque nos id facere debemus.

Non

Non debemus fraternam communionem cum illis retinere quos ad Euchariſtiam unà nobiſcum celebrandam nefas eſt admittere: Videtur autem illicitum Lutheranis in Cœnæ Dominicæ ſumtione communicare cum Eccleſiis Helveticis aut Gallicanis. Nam ſacra Domini Cœna inter alios fines hunc uſum habet, ut ſit religionis quam quiſque profitetur nota atque ſymbolum. Qui enim cum Eccleſia aliqua in hujus Sacramenti ſumtione communicant, hoc ipſo publicè profitentur, quòd ejuſdem Eccleſiæ doctrinam amplectantur, & contrariam rejiciant, ſéque ab aliis ſeparent. Sumtione itaque Cœnæ Dominicæ nequaquam ludendum eſt, nec quidvis ſimulandum unde animus abhorret: atque idcirco non poſſumus communicare cum illis Eccleſiis quæ Confeſſionem noſtram non amplectuntur: tali enim communicatione derogare videremur Confeſſioni noſtræ & ſinceræ religioni, atque erroribus aliarum Eccleſiarum aut patrocinari aut certè occultè favere. Satius itaque eſt imitari Chriſtianos Imperatores, qui Arianis petentibus in communionem Orthodoxorum recipi, non priùs id concedere voluerunt quàm illi Orthodoxorum doctrinam approbarent.

Cap. 12. Arg. 5.

Vide Præf. ad Colloq. Mompelg.

De eo quod primo loco aſſeritur non litigamus. Quod autem aſſumitur, Illicitum eſſe admittere ad menſam Dominicam

Reſp.

CAP. 12. cam, niſi eos ſolos qui in unius & ejuſdem particularis Eccleſiæ confeſſionem ſubſcribere parati ſunt, id mihi videtur defendi non oportere. Nam præcipuus uſus Cœnæ Dominicæ eſt ad recolendam mortem & paſſionem Chriſti pro hominum ſalute toleratam, atque ad vitam æternam ex carnis & ſanguinis ejus participatione percipiendam: Inſervit etiam teſtificandæ & confirmandæ unioni quam Chriſtiani habere debent inter ſe & cum Capite ſuo Chriſto Jeſu: Fatemur denique, hoc Sacramentum (ſicuti etiam & Baptiſmum) notam eſſe & ſymbolum illius religionis quam profitemur. *In nullum etenim nomen Religionis, ſive verum ſive falſum, coagulari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum vel ſacramentorum viſibilium conſortio colligentur.* Sed ſicuti Baptiſmus ſymbolum eſt quidem Religionis Chriſtianæ quam profitemur, non particularium Opinionum aut Confeſſionum quas præ aliis amplexamur, itá etiam de Euchariſtia ſtatuendum eſt. Ad mutuam itaque Chriſtianorum in Cœna Dominica communionem non requiritur ut omnes unà communicantes conveniant in una Confeſſione, ſive Anglicana, ſive Gallicana, ſive Germanica, ſed ut conveniant in una Chriſtianæ & Catholicæ fidei profeſſione. Relinquamus Manliana hæc imperia Papiſtis, qui omnes à communione ſua ſeparandos

1. Cor. 10. 17.

Aug. contr. Fauſt. 19. 12.

randos

randos judicarunt qui in Tridentinam Confeſſionem jurare noluerunt. Non ità fecerunt ſancti Patres: ſed *Dominicam pacem cum Eccleſiis tenuerunt diverſa ſentientibus*; neminem à jure communionis amoventes, quòd in alterius particularis Eccleſiæ privatam ſententiam pedibus ire recuſaret: nam Catholicam fidem Catholicæ Eccleſiæ unanimi conſenſu receptam, *certam & ſolam fidei regulam* agnoſcebant *per quam credentes Catholicam tenerent unitatem*. Sed oſtendat ſi quis poteſt particulares Eccleſias hoc ſibi uſurpaſſe, ut alias abſcinderent à fraterna ſecum communione propter opinionum diverſitatem in rebus Catholicæ Eccleſiæ judicio nondum in unam aut alteram partem definitis. Tentavit quidem hoc facere Victor, & poſt eum Stephanus, Romani Pontifices: ſed nullo jure nixam fuiſſe hanc ſeparationem, atque idcirco piis & doctis Patribus vehementer diſplicuiſſe, ex Euſebio manifeſtum eſt.

Cap. 12.

Cyprianus; Cornelius.

Aug. Serm. 181.

Socrat. l. 5. cap. 21.

Euſeb. lib. 5. cap. 23. & lib. 7. cap. 4.

Abſit itaq; ut in ipſa Cœnæ Dominicæ communione quaſi bellum indicamus omnibus aliis Eccleſiis quæ noſtram Confeſſionem particularem nolunt facere ſuam, aut quæ ſuam deſerere nolunt ut amplectantur noſtram. Si noſtras Eccleſias de quibuſdam quæſtionibus nondum definitis rectiùs ſentire judicamus quàm alias, cauſam juſtam habemus non-cõmunicandi cum illis

in

CAP. 12. in Erroribus; at non-communicandi in Sacramentis nullam indè habemus. Siquidem nullus error in quo errari poteſt ſalvâ fide quâ Chriſtiani ſimus, facit nobis poteſtatem ab aliis Eccleſiis diſcedendi, aut à ſancta & fraterna cum illis communione abhorrendi. Neque cum Sacramentis ludunt, aut ſimulationis crimen incurrunt Chriſtiani, quando unam Cœnam Dominicam celebrant cum illis quos ſciunt in aliquot doctrinæ Theologicæ capitibus à ſeſe diſcordare. Euchariſtiæ etenim Sacramentum non eſt à Chriſto in eum finem inſtitutum ut eſſet nota & ſymbolum perfectæ Cognitionis in omnibus qui ſunt ejuſdem comparticipes: neq; igitur perfectæ Conſenſionis, quam perfectam in imperfecta Chriſtianorum cognitione reperire eſt planè impoſſibile. Qui igitur hâc æquitate utuntur erga alias Eccleſias, ut eas à ſua communione non rejiciant particularium ſuarum Confeſſionum prætextu, fruuntur & ipſi eodem beneficio apud alios. neq; interim aut derogant ſuæ Confeſſioni, aut patrocinantur alienæ; ſed minimè ſibi arrogant poteſtatem dividendi Eccleſias, aut diſſolvendi unitatem fraternam inter Chriſtianos, ex ea cauſa quam nec Chriſtus, nec Apoſtoli, nec primitiva Eccleſia unquam approbaſſet. Poſtremò, alienum eſt ab hac cauſa exemplum ab Arianis petitum. Nam lubenter concedimus, communionem

Vide Aug. contra Jul. Pelag. lib. 1. cap. 2. Et De peccat. orig. l. 2. cap. 23.

nionem illis denegandã non ab una aliqua particulari Eccleſia ſolummodo, ſed ab omnibus, qui æternam Chriſti Divinitatem audent explodere. hoc etenim eſt evertere ſolidiſſimum fidei Chriſtianæ & ſalutis humanæ fundamentum. At longè alia ratio eſt illarum controverſiarum quæ diſceptantur in Eccleſiis Reformatis, & in quibus inter ſe diſſident atque diſcordant: Nam in harum nulla rectè quis dixerit aut Fundamentũ ſalutis humanæ ſubverti, aut autoritatem Catholicæ Eccleſiæ contemni, aut denique propter errorem in talibus ullam particularem Eccleſiam fuiſſe unquam à fraterna omnium Chriſtianorum communione ſeparatam aut ſeparandam Catholicæ Eccleſiæ judicio & poteſtate. Videtur autem hoc dubitationem nullam habere, quòd injuſtè una particularis Eccleſia abſcindat à ſua communione aliam quamcunque, quando propter eaſdem opiniones, juxta priſcam Eccleſiæ Catholicæ diſciplinam & ſanctiones Catholicè ſtabilitas, non eſſet ab omnibus Eccleſiis ſeparanda & abjicienda. CAP. 12.

Sed amore Pacis & ſtudio Concordiæ inter nobiliſſimas Eccleſias redintegrandæ, multò longiùs provectus ſum quàm mihi ab initio propoſitum fuit. Ad Deum ipſum jam convertam orationem meam; Quem ſupplex precor, ut tandem Eccleſias omnes

Refor-

CAP. 12. Reformatas à Diviſione in unam colligat, & hoc Uni Deo congruere, ut in Unitate colatur, omnibus oſtendat. Dilectiſſimis autem Eccleſiarum externarum Fratribus valedicam ſanctiſſimi Auguſtini hortatione; *Si vultis vivere de Spiritu ſancto, tenete charitatem, amate veritatem, deſiderate unitatem, ut perveniatis ad æternitatem.* Deo optimo maximo, qui eſt Deus Pacis, Chriſto Jeſu Domino noſtro, qui eſt Princeps Pacis, Spiritui ſancto, qui eſt vinculum pacis, ſit gloria, honor, & benedictio in ſecula ſempiterna.

Amen.

FINIS.